GRATIAM DEI NON ESSE SEMPER EFFICACEM: NEC NECESSITARE AUT DETERMINARE...

René Maupeou

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
30 N
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52.C.29
54
B
26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GRATIAM DEI NON ESSE SEMPER EFFICACEM:

NEC NECESSITARE AVT DETERMINARE voluntatem ad vnum; Atque vt ſit efficax vel inefficax ab hominum arbitrio ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia libero pendere, nec aliter vnquam docuiſſe Sanctum Auguſtinum.


Contra Dominum Cornelium Ianſenium Yprenſem Epiſcopum.

Auctore RENATO MAVPEOV, in Arctiori Regis Conſilio Conſiliario ordinario, & in Suprema Pariſienſi Subſidiorum Curia Præſide.

Seruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent. S. Auguſtinus de vera Religione, cap. 14.

Collegii Romani Cat. Inscript.

Bibl. Secr. ex dno Authoris



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PARISIIS,
Apud GVILLELMVM SASSIER, viâ Reſtionum, propè Sorbonam, ad inſigne duorum Turturum.

M. DC. XXXXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI CARDINALI MAZARINO.

EMINENTISSIME CARDINALIS,

IN tanta negotiorum mole, qua non ſolum à finibus noſtris bellum amoliris, verum etiam hoſtes premis, ipſe alacer & infractus, rebus domi compoſitis, pa-

* ij

Digitized by Google

cem intus tueris, palmas palmis cumulas, dum te togatum Victorem victrix Gallia, pacis ſequeſtrem Europa, Regina moderatrix adminiſtrum, Rex protutorem miratur & ſuſpicit, aliquid temporis tibi ſubducere, eſt equidem de ſumma Republica, cui omnia tribuis multum deducere; Verum enimverò expende quæſo, quas partes virtus, & ſingularis ille tuus præſtanſque genius tibi impoſuit, non ſolum in Regno, ſed etiam in Eccleſia, quæ in Regno eſt, cuius cardinem pari religione & pietate moues & moderaris, eiuſque pacem iiſdem artibus, quibus regni ſalutem & gloriam quæris, tua purpura non minus Diui Petri Cathedræ, quam Regis So-

Digitized by Google

lio allucet: Cum autem juſtam à muneribus Curiæ, in quibus me ſæpè Regi probaui, vacationem ætas mihi dediſſet, ſacras litteras, quas olim tractaueram iuuenis, retractare ſenex, & ortam nuper de Gratia quæſtionem, non vt contentionis funem necterem, ſed vt verum diſquirerem, mouere cœpi. Hæc mea nuda & ſimplex veritatis diſquiſitio, te veritatis patronum, & aſſertorem poſtulat, in ſinum tuum, in quo fides latet orthodoxa, confugit: apud eum ſe tutam fore ſperat, per quem omnia ſunt tuta & firma. Suſcipe, CARDINALIS EMINENTISSIME, ea, qua ſoles, animi æquitate hoc pignus, non tantum aſſerendæ veritatis,

Digitized by Google

verumetiam deuoti obſequij, quo me meoſque tibi addico, ſimulque Deum precor, vt te fœlicem & Regi, Regno, Matrique moderanti, ſoſpitem perpetuò præſtet

EMINENTIÆ TVÆ,

Obſequentiſſimus & addictiſſimus
R. MAVPEOV.

Digitized by Google

LECTORI.

NE credas quæſo, beneuole Lector, me temerè falcem immittere, in meſſem alienam, & cum non ſim Theologus, nec Eccleſiaſticæ profeſſionis, difficiliores Theologiæ quæſtiones velle diſputare; Non enim hanc quæſtionem tanquam Theologicam attrecto, ſed tantum tanquam quæſtionem facti inquiro, ſatis autem diù verſatus ſum in litibus decidendis, nempè per quadraginta quinque annos, vt didicerim veritatem alicuius facti viſis vtrinque tabulis indagare, eruere, & agnoſcere, quod in hoc opere ſolum præſtiti. Dominus enim Ianſenius aſſerit Sanctum Auguſtinum docuiſſe Gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, & voluntatem hominis determinare ad vnum; Ego vero affirmo Sanctum Auguſtinum docuiſſe Gratiam Dei nunquam eſſe efficacem, niſi accedat conſenſus hominis ad vtrumlibet ſeu ad indifferentia liber, nec eum aliter vnquam ſenſiſſe, ſicque Ianſenij eſſe quidem Caluini, ſed non Sancti Auguſtini ſententiam quod me probaſſe arbitror, an verè & benè,

Digitized by Google

iam penes te eſt iudicium. Quod ſi mihi compertum eſſe poſſit, hunc meum laborem, tibi gratum & acceptum eſſe, mihi currenti calcar addes vltra progrediendi; Intereà opuſculum iſtud æquo animo ſuſcipe, nec de illo niſi perlecto indices, vale, & nos ama.

ERRATA.

PAgina 14. l. 28. humana vir es, *lege* humanas vires. Pag. 34. l. 14. ad, *lege* quod. Pag. 82. l. 10. actione, *lege* coactione. Pag 205. l. 4. liberum neceſſitate, *lege* à neceſſitate. Pag. 310. l. 11. alij non, *pone* virgulam. Pag. 343. l. 27. Apologis, *lege* Apologia. Pag. 390. l. 1. inſtabiliter, *lege* infallibiliter. Pag. 419. l. 8. apprehendo, *lege* apprehende.

Cætera emendenda beneuolus Lector emendabit.

GRATIAM

Digitized by Google

GRATIAM DEI
NON ESSE SEMPER
EFFICACEM, NEC NECESSITARE AVT DETERMINARE VOLVNTATEM AD vnum, atque vt ſit efficax, vel inefficax ab hominum arbitrio ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia libero pendere, nec aliter vnquam docuiſſe Sanctum Auguſtinum.

Contra Dominum Cornelium Ianſenium Yprenſem Epiſcopum.

HVNC ingenij mei conatum non contradicendi animo, aut quemquam refutandi, aut alios docendi ſtudio, ſed addiſcendi, & me ipſum docendi cauſa aggredior: idem enim ſtimulus qui olim ab adoleſcentia mea me pupugit, cum viderem tot errores, tamque diuerſas hæreſes & Eccleſias regnare, quæ omnes ſe Catholicas gloriabantur, hoc enim etiam nomine ſe progreſſu temporis donarunt, indagare an ſine ratione in- Exordium à cauſa ſcribendi.

Digitized by Google

ſanirent, vel non; & inueni eos verè nouos Apoſtolos ita reformaſſe Eccleſiam, vt nullum apud eos veteris Eccleſiæ veſtigium remaneret. Non enim iſti, vt priſci hæretici, in vno tantum articulo ab Eccleſia Catholica deficientes, in cæteris concordes, ita vt qui in templis hæreticorum verſarentur, in Catholicorum ſe eſſe credere poſſent: noua enim fecere omnia, vetera templa demoliti ſunt, & ſibi noua nouâ formâ extruxerunt. Apud eos non Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, ſeu Preſbiteri, Canonici, Monachi, Moniales, Epiſcopi, Archiepiſcopi, ſummus Pontifex, ſacrificium abolitum, Sacramenta imminuta, quæ retinuerunt mutilata, noui ritus ea conferendi conficti: in templis eorum non horæ Canonicæ, non lampades, cerea aut luminaria, non imagines; denique ita miſcuerunt & perturbarunt omnia, vt ſi qui priorum ſæculorum Chriſtiani reuiuiſcerent, nulli eos pro Chriſtianis agnoſcere poſſent. Quod ſatis abundè in noſtris de hujuſmodi controuerſiæ ſcriptis Gallicè editis, & præcipuè in eo, cui titulum feci abſurditates, impietates, Atheiſmi, & irreligio Religionis prætenſæ, quæ ſe reformatam dicit, demonſtrauimus. Idem inquam ſtimulus, cum viderem tot tamque grauiſſimos viros, quos ego valde reuereor & ſuſpicio, tam magnifacere dominũ Cornelium Ianſenium Yprenſem Epiſcopum, tanquam alterum Sanctum Auguſtinum, aut ipſummet reſuſcita-

Digitized by Google

tum, me perculit ipſum legere, maximè cum in ea diceretur eſſe ſententia, quæ nunquam mihi arriſit, & quam ego abſurdam, & non longe à Caluiniſtica diſtare cenſebam, eo vt iam dixi animo, atque vt eum refutare tentarem, ita tamen vt ſi non poſſem, quieſcerem. Idcirco librum eius mihi emi iuſſi, eoque mihi oblato, eius lectioni incubui; ſed cum incidiſſem in grauiſſimum morbum, qui me per quinque menſes malè exercuit, & à quo vix quiſquam me reſurrecturum ſperabat, ceſſauit Ianſenij lectio, ſtatimque ac quodammodo reuiuiſcere cœpi, juſſu Medici rus profectus ſum: vbi quidam Doctor Sorbonicus ex meis propinquis & affinibus me inuiſum veniens ſecum attulit librum, cui titulus eſt Sanctus Auguſtinus per ſe ipſum docens Catholicos & vincens Pelagianos, qui continet omnes locos Sancti Auguſtini à Domino Ianſenio in Opere ſuo productos ad ſtabiliendam ſuam doctrinam, qui de nouo editus erat necdum contextus. Quem cum legerem perueni ad caput, cui titulus eſt de Gratia Chriſti ſemper efficaci, quod certè mihi mirum fuit; & perlectis Sancti Auguſtini locis ſuper lectum meum recumbens ingemui dicens, Si ita eſt cauſa hominis cum Deo, præſtat nihil agere. Quid enim ſatagam bonis operibus facere certam meam vocationem? ſi enim oro Deum, vt mihi gratiam ſuam largiatur, hoc non poſſum facere, ſine eius

Digitized by Google

gratia præueniente. Sed ſi à gratia Dei præueniatur, iam illa gratia eſt efficax: Agat ergo Deus in nobis ſine nobis, vel cum nobis, quidquid libuerit, patiéter expectandum quid ſtatuat de nobis. Verum dum rem altius mecum ipſe perpendo, venit in mentem illud ſemper eſſe obtruſum, & certè mihi olim libros Sancti Auguſtini de Gratia reuoluenti non occurrit illud ſemper, nec me coniectura & memoria fefellit. Nam cum locos relegiſſem, abeſſe illud deprehendi, quo animaduerſo in præſens mihi quieſcēdum, non tamen acquieſcendum, putaui. Interea recuperata quodammodo valetudine, viſendarũ cauſa filiarum mearum, quæ in diuerſis Cœnobijs Moniales degunt, iter ſuſcepi. Vnde Lutetiam rediens didici eum, cui officium meum filij mei, me abſente, & tamen conſentiente, vendiderant, nondum eſſe in Curiam aſſumptum, eamque Præſide carere Illuſtriſſimo Domino primo Præſide ægrotante, ad illud exercendum me contuli. Tandemque alio in locum meum ſuffecto, cum vellem in Arctiori Regis Conſilio, vbi Conſiliarius ordinarius ſum, vnum ex ſuperioribus locis, qui mihi multis nominibus & diplomatibus Regio ſigillo obſignatis erat debitus, occupare, prohibitus ſum, inferiori vltro conceſſo, quem recuſans ab ingreſſu Conſilij omnino abſtinui. Sicque remanſi Conſiliarius Ordinarius titulo tenus, mihique ſoli relictus, domum priuatus redij poſt quadraginta

Digitized by Google

quinque annos exactos omnibus iudicaturæ muneribus obeundis, qua in Conſilij munere, qua in aduocatione & procuratione Catholica, qua in officio & dignitate Præſidis per triginta octo annos & amplius, quod vt credo mihi ſoli contigit. Arthritide interea manus pedeſque conſtringente, & filijs meis ad munia ſecedentibus, domi plerumque ſolus tanquam eius cuſtos degebam. In tam alto igitur pinguique otio deprehenſus, ne omnino otioſus eſſem, ad Domini Ianſenij Caſtra, non tanquam transfuga, ſed explorator redij, & perdiligenter quid ſibi vellet ſum ſcrutatus: & tandem cognoui ipſum eandem quidem ſententiam de Gratia Dei ſemper efficaci, ſed verbis alijs nobis obtrudere: En tibi eius tabellare teſtimonium, nullum dari à Deo auxilium poſt lapſum, quin ſimul ſit efficax; hoc enim inquit repugnat multis principijs Auguſtini & Eccleſiæ. Quod cum concoquere non poſſem, & dolerem Sanctum Auguſtinum inuitum & reluctantem in eam ſententiam trahi, & à ſe ipſo diuelli, Cornelium Ianſenium ſuis armis exuendum; & ſuo vt ita dicam gladio iugulandum putaui. Quod vt faciam, & rectè faciam, tu Domine Deus omnipotens, æterne, pie, & miſericors benignus aſpira & inſpira quid ſcribam: Ne me ſinas quæſo obloqui, aut effutire quicquam, quod ſit tuæ diuinæ Majeſtati contrarium, rationi non

conforme, & Eccleſiæ tuæ Sanctæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ minime conſentaneum. Ad id da robur corporis, firma mentem, ſpatium vitæ ſufficiens concede. Scio me ſine diuinæ tuæ gratiæ auxilio nihil boni poſſe facere, ſed cum quo, & per quod opus me rite peracturum confido, hac ſpe fretus ad illud me conuerto.

VNICVM Domini Cornelij Ianſenij Yprenſis Epiſcopi præſidium, ſeu fundamentum, in eo ſolùm ſitum eſt, quod dicit ſe non ſuam, ſed Sancti Auguſtini proferre ſententiam. Vidit enim cautus ille Doctor parui momenti fore, ſi ſuam tantùm promulgaret ſententiam; magni verò, ſi eam ſub nomine Sancti Auguſtini venditaret. Itaque hoc diruto fundamento totum ædificium corruet, eiuſque opus penitus euaneſcet, quod nos certò præſtituros & euerſuros facile ſperamus. Sed quia volumus noſtram ſententiam ab omni parte inſtructam, & auctoritate diuinæ ſcripturæ, cui ſemper ſupremus locus dandus eſt, firmatam; Deindè rationibus ex ſenſu communi aliiſque exemplis authoritate ſcripturæ fultis, & auctoritate Patrum, tum qui S. Auguſtinum præceſſerunt,

Digitized by Google

tum eorum,qui illi ſucceſſerunt,atque etiam au-ctoritate ipſius Sancti Auguſtini, Proſperi, Fulgentij, Hilarij, quos ſibi magis fauentes Ianſenius autumat munitam, vt his tanquam mœnibus, aggere, vallo, & foſſis defenſa, ſi quis eam oppugnare velit, tamen expugnare non poſſit; antequam ad hoc perueniamus, omnia Ianſenij effugia obſtruenda, & cauilla diluenda opere-pretium cenſemus, quin etiam crimina Pelagianiſmi, Semipelagianiſmi, ſeu Maſſilienſium erroris, quæ nobis imponit, remouenda, differentiam, quam ſtatuit inter coactionem & neceſſitatem, inutilem reddendam, omnes locos Sancti Auguſtini interpretandos & explicandos; deinde illum Caluiniſmi reum peragendum: His peractis ad propoſitum veniemus.

Igitur Cornelius ille Ianſenius, vt ſuam ſententiam aditu & acceſſu difficiliorem reddat, multis præludijs & ambagibus vtitur, mouetque plures quæſtiones, quæ, vt mihi videtur, parui ſunt momenti, parumque ad rem faciunt, & ni fallor ſunt inutiles, vt his quaſi inuolucris ſuam abſurdam tegat ſententiam de gratia ſemper efficaci, quam ego non tantum contendo falſam, ſed eam, quæ cum ea ex Diametro pugnat, eſſe veram, Nempe nullam à Deo dari gratiam neceſſariò efficacem: tantum abeſt vt nulla detur, quin ſimul ſit efficax; vt dicit Ianſenius Tomo 3. lib. 3. cap. 1. qui vult gratiam ita eſſe efficacem,

Digitized by Google

vt hominis liberum arbitrium neceſſitet, & eius actum determinet ad vnum, nec eſſe in poteſtate eius illam efficacem aut inefficacem reddere, illam amplectendo aut reijciendo: Quod vt ſtatuat, multa diſſerit de natura hominis ante & poſt lapſum; habuiſſe quidem hominem liberum arbitrium ad indifferentia, & potuiſſe agere auxilio diuino, ſine quo ante lapſum, poſt lapſum vero indiguiſſe maiore auxilio, nempè ſine quo, quo, & cum quo; Quod dum dicit, profectò lectorem ludit: habuit enim & primus homo auxilium ſine quo, quo, & cum quo: quia ſi habuit tale auxilium ſine quo, opus bonum agere non poſſet; Certè etiam habuit cum quo poſſet, & quo poſſet; quia ſi ſine illo, ergo & cum illo, & per illud. Quod vero blaterat de majore auxilio, diſtinguendum eſt, quia ſi per maius intelligit fortius, validius & vehementius, hoc illi abſolute negatur; quia Deus non eſt potentior poſt lapſum quàm ante eum, eſt enim idem Deus, & ſemper æque potens: ſed ſi per maius intelligit continuum, ita vt maiore indigere auxilio ſit indigere auxilio continuo ampliore ſemper & ad omnes actus bonos eliciendos, hoc illi conceditur; ſed teſte Sancto Auguſtino, primus Homo tale adiutorium habebat, quod desereret, aut in bono maneret ſi vellet. Hæc autem gratia tãto maior eſt, quod efficit vt velit apprehendere bonum, vel permanere in illo, quod libere fatemur,

De Corrept. & Gratia, c. 11.

mur, nec enim quia non poteſt apprehendere bonum, aut permanere in illo, niſi mediante gratia Dei præueniente, mouente, excitante, efficiente vt velit, ideo neceſſitat vt velit, manente ſemper in hominis libertate vt velit aut nolit: nec vnquam illa gratia ſuum ſortitur effectum, niſi cum accedit conſenſus arbitrij ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia liberi ad velle aut nolle. Quæ omnia vt vt ſint, parum aut nihil intereſt, vt iam dixi, ad quæſtionem quam impugnandam ſuſcepi; neque enim inde concludi poteſt, ideo maiorem Dei eſſe gratiam, vt inualidet liberum arbitrium, aut nullum ſtatuat; ſub prætextu tamen, illud magis liberum efficiendi: Nec vlla ratio, nequidem apparens, adduci poteſt, cur Homo per lapſum ſuum perdiderit liberum arbitrium: Quanquam enim infirmata ſit natura per caſum, tamen non eſt deperdita & deſtructa. Nec obeſt quod concupiſcentia remaneat, quæ quidem eſt fomes peccati, vitium & morbus quotidie per gratiam & bona opera ſanandus, vt inquit S. Auguſtinus. Vnde non video quid inde poſſit concludere Dominus Ianſenius, niſi quod multa garrit aduerſus Pelagianos iamdiu deuictos, profligatos, proſcriptos atque damnatos, & proinde inutiliter: nec enim inde poteſt concludere, hominem liberum perdidiſſe arbitrium, quod nullibi dixit Sanctus Auguſtinus; quinimo librum integrum ſcripſit in

Digitized by Google

fauorem liberi arbitrij, & in Epiſtola 47. à Ian-
» ſenio allata ſic loquitur, Fides Catholica neque
» liberum arbitrium negat, ſiue in malam vitam,
» ſiue in bonam; neque tantum ei tribuit, vt ſine
» gratia valeat aliquid. Ex quibus verbis quilibet
lector notare & colligere poteſt Sanctum Auguſtinum ſtatuere liberum arbitrium ad vtrumlibet æquipare, ſiue in malam, ſiue in bonam vitam.

Quod nos quaſi manu ducit ad declarandum, & manifeſtandũ, quàm falsò Dominus Ianſenius nos Catholicos Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi, ſeu Maſſilienſium erroris inſimulet, ſub nomine Neotericorum: hoc enim nomine donat noſtros poſteriores Theologos, vt illos infamet, & eorum authoritatem imminuat, atque vt id perſuadeat illis Catholicam ſententiam imputat: vt inde conſequens ſit, illam in illis eſſe damnatam, atque à Sancto Auguſtino profligatam. Vult enim Pelagium non tantum ſimpliciter negaſſe neceſſitatem gratiæ ad bene operandum, dicendo vires naturæ ad id ſufficere, ſed etiam negaſſe gratiam operari vt velimus, & ita velimus, vt in noſtra libertate non maneat vt nolimus, vt inde concludat Ianſenius Sanctum Auguſtinum docuiſſe contra Pelagium, gratiam operari in nobis, agere & velle, ita vt non ſit amplius in poteſtate, velle acquieſcere gratiæ, aut nolle; illam amplecti, aut recuſare, ſed arbitrium hominis ita neceſſariò ferri ad obſequium gratiæ, vt

Digitized by Google

illi obſequatur, illi pareat & obediat, quia actum neceſſitat & determinat ad vnum; Idque liberè, licet neceſſariò. Quod certe Ianſenius ſibi in ſuos vſus confixit, non eſt verum ſed bene inuentum, & eſt pura calumnia. De huiuſmodi enim quæſtione nullum certamen inter Pelagium & Auguſtinum, nec ipſe Sanctus Auguſtinus vſquam tam abſurdè ſenſit, nec in omnibus operibus eius quiſquam reperire poterit, eum ſcripſiſſe gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, aut neceſſitare & determinare liberum arbitrium ad vnum, ſed contra ſic ſtatuiſſe gratiam, vt numquam tolleret libertatem ad vtrumlibet ſeu ad indifferentiam ad velle aut nolle, ſic vt poſſet libere non neceſſariò gratiam amplecti, aut reſpuere. Lis autem, quæ erat inter Pelagium & Sanctum Auguſtinum, ea ſola erat, quod Pelagius negabat gratiam Dei eſſe neceſſariam ad bene agendum vel cogitandum; & Sanctus Auguſtinus hoc tantum expetebat à Pelagio, vt conſentiret ipſam voluntatem & actionem diuinitus iuuari; cuius veritatis non alium teſtem imploro, quàm Sanctum Auguſtinum, & in eodem loco quo vtitur Dominus Ianſenius ad probandam ſuam ſententiam. Nam Tomo 3. Lib. 2. Cap. 9. profert Caput 47. Libri de gratia Chriſti, cuius hæc verba ſunt: *Quapropter quantum attinet ad iſtam de Diuina gratia & adiutorio quæſtionem, tria iſta, quæ apertiſſimè diſtinxit, atttendite,*

Digitized by Google

poſſe, velle, eſſe, id eſt poßibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo conſenſerit nobis non ſolam poßibilitatem in homine, etiam ſi nec velit, nec agat bene, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt vt bene velimus & bene agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando bene vult & bene agit vt dixi, conſenſerit etiam ipſam voluntatem & actionem diuinitus adiuuari, & ſic adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua non noſtra iuſtitia iuſtos facit, vt ea ſit vera noſtra iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adiutorio gratiæ Dei quantum arbitror inter nos controuerſiæ relinquet. Quod cum Catholici non negent, ſed cum Sancto Auguſtino doceant, certe Pelagiſmi crimen non incurrunt, & proinde falsò illis à Ianſenio imponitur.

Poſſem plures alios locos ex Sancto Auguſtino referre, ex quibus conſtat, nullam aliam fuiſſe inter Pelagium & Sanctum Auguſtinum controuerſiam, quàm ſupra dictam: ſed quia id ſatis conſtat hoc vnico ab ipſo Ianſenio mutuato, contenti erimus; Vnde apparet quomodo Sanctum Auguſtinum in ſuum ſenſum protrahat. Addemus tamen probationes ex Concilijs, quæ Pelagium damnarunt; vnde clare patebit quid docuerit Pelagius, & ob quæ dogmata condemnatus fuerit: quæ ſi Catholicis impingi non poſſunt, certè Pelagiani non ſunt. Primum teſtimo-

Digitized by Google

nium deſumo ex Epiſtola, quam Concilium Carthaginenſe miſit ad Innocentium, quæ eſt nonageſima apud Sanctum Auguſtinum, cuius hæc
» ſunt verba: Id enim agunt iſti damnabilibus
» diſputationibus ſuis, vt non deffendendo, ſed
» potius in ſuperbiam ſacrilegam extollendo li-
» berum arbitrium, nullum relinquant locum
» gratiæ Dei, qua Chriſtiani ſumus, qua & ip-
» ſum noſtræ voluntatis arbitrium verè ſit libe-
» rum, dum à carnalium concupiſcentiarum do-
» minatione liberatur, dicente Domino, Si vos
» Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis, quod
» auxilium fides impetrat, quæ eſt in Chriſto Ieſu
» Domino noſtro. Iſti autem aſſerunt ſicut à fra-
» tribus, qui etiam eorum libros legerunt, cogno-
» uimus in eo gratiam Dei deputandam, quod
» talem hominis inſtituit creauitque naturam,
» quæ per propriam voluntatem legem Dei poſ-
» ſit implere, ſiue naturaliter in corde conſcri-
» ptam, ſiue in litteris datam, eandem quoque
» legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus
» in adiutorium hominibus dedit, illam verò gra-
» tiam, qua, vt dictum eſt, Chriſtiani ſumus, cuius
» Apoſtolus Prædicator dicés, Condelector enim
» legi Dei ſecundum interiorem hominem: Vi-
» deo autem aliam legem in membris meis repu-
» gnantem legi mentis meæ, & captiuantem me
» in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Miſer
» ego homo, quis me liberabit de corpore mortis

Digitized by Google

»]huius, gratiam Dei per Dominum noſtrum » Ieſum Chriſtum, nolunt omnino cognoſcere; » ſed nec aperte quidem oppugnare audent. Sed » quid aliud agunt cum hominibus animalibus, » non præcipientibus quæ ſunt Spiritus Dei, » perſuadere non ceſſant ad operandam perfi- » ciendamque iuſtitiam, & Dei mandata com- » plenda, ſolam ſibi humanam ſufficere poſſe » naturam, non attendentes quod ſcriptum eſt; » Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: Et, Non » volentis eſt, neque currentis, ſed miſerentis Dei; *& paulo infra*: Conſideret ergo ſanctitas » tua & Paſtoralibus nobis compatiatur viſce- » ribus, quàm ſit peſtiferum & exitiale ouibus » Chriſti, quod illorum ſacrilegas diſputationes, » neceſſariò ſequitur, vt nec orare debeamus ne » intremus in tentationem, quod Dominus & » diſcipulos monuit & poſuit in Oratione, quam » docuit, aut ne deficiat fides noſtra, quod pro » Apoſtolo Petro ſe rogaſſe teſtatus eſt. Si enim » poſſibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in po- » teſtate ſunt conſtituta, quis non ea videat à » Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum » orando poſcuntur, quæ naturæ noſtræ iam ita » conditæ ſufficientibus viribus obtinentur? *Et in fine Epiſtolæ contra eos Anathema pronuntiatur*; Vnde liquet non aliter Pelagium repugnaſſe gratiæ diuinæ, niſi quia dicebat humana vir es ſine auxilio diuino ſufficere ad vitanda p ccata

Quod videre eſt etiam in Epiſtola ſequenti, quæ eſt Innocentij Papæ ad Epiſcopos, qui huic Concilio interfuerunt; ex qua hæc verba tranſcribo: Nam quid nos de his poſthac rectum mentibus exiſtimemus, qui ſibi ſe putant debere quod boni ſunt, nec illum conſiderant, cuius gratiam quotidie conſequuntur? Sed item iſti, qui tales ſunt, nullam Dei gratiam conſequuntur, qui ſine illo tantum ſe aſſequi poſſe confidunt, quantum vix illi qui ab eo poſtulant & accipiunt promerentur. *Et poſt nonnulla*: Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur, tam expoſitum ad omnia pericula, ſi hoc ſolum nobis putantes poſſe ſufficere, quod liberum arbitrium cum naſceremur accepimus, vltra iam à Domino nihil quæramus? Id eſt authoris noſtri obliti eius potentiam, vt nos oſtendamus liberos abiuremus; quaſi iam amplius quod poſſit dare nõ habeat, qui te in ortu tuo liberum fecit, &c. *Et poſt pauca*: Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, quo dicat adiutorio nobis non opus eſſe diuino, inimicum ſe Catholicæ fidei & Dei beneficijs profitetur ingratum, nec noſtra communione ſunt digni, quam prædicando taliter polluerunt. *Et in Epiſtola 92. quæ eſt Concilij Mileuitani ad eundem Innocentium Papam*: Noua quippe hæreſis, & nimium pernicioſa tentat ſurgere, inimicorum gratiæ Chriſti, qui nobis

„ etiam dominicam Orationem impijs diſputatio-
„ nibus conantur auferre. Cum enim docuerit vt
„ dicamus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut &
„ nos dimittimus debitoribus noſtris, iſti dicunt
„ poſſe hominem in hac vita præceptis Dei co-
„ gnitis, ad tantam perfectionem iuſtitiæ, ſine
„ adiutorio gratiæ Saluatoris per ſolum liberum
„ voluntatis arbitrium peruenire, vt ei non ſit
„ iam neceſſarium dicere, Dimitte nobis debita
„ noſtra. Illud verò quod ſequitur, Ne nos infe-
„ ras in tentationem, non ita intelligendum, tan-
„ quam diuinum auxilium poſcere debeamus, ne
„ in peccatum tentati decidamus. Sed hoc in
„ noſtra eſſe poſitum poteſtate, & ad hoc implen-
„ dum ſolam ſufficere voluntatem hominis, tan-
„ quam fruſtra Apoſtolus dixerit, Non volentis,
„ neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Vnde
apparet quæ fuerit Pelagianorum ſententia de
Gratia. Idem etiam patet ex Epiſtola 95. quæ eſt
Aurelij, aliorumque Epiſcoporum, inter quos
Auguſt. Innocentio Papæ de Pelagio, quæ ſic in-
„ cipit. De Concilijs duobus Prouinciæ Cartha-
„ ginenſis atque Numidiæ ad tuam Sanctitatem
„ à non paruo Epiſcoporum numero ſubſcriptas
„ litteras miſimus, contra inimicos gratiæ Chri-
„ ſti, qui confidunt in virtute ſua, & Creatori
„ noſtro quodammodo dicunt, Tu nos feciſti
„ homines, iuſtos autem ipſi nos fecimus, qui
„ naturam humanam ideò dicunt liberam, ne
quærant

Digitized by Google

„ quærant liberatorem ; ideo ſaluum, vt ſuper-
„ fluum iudicent ſaluatorem. Tantum enim di-
„ cunt valentem, vt ſuis viribus in origine crea-
„ tionis ſuæ acceptis, poſſit per liberum arbi-
„ trium, nihil vlterius adiuuante illius gratia, qui
„ creauit, domare & extinguere omnes cupidi-
„ tates, tentationeſque ſuperare. Vbi etiam ite-
rum apparet, ideo tantum Pelagium inimicum
fuiſſe gratiæ Chriſti, quia putabat peccatum
poſſe vitari per ſolas vires liberi arbitrij ſine ad-
iutorio diuino, quod etiam vt magis conſtet,
profero Cócilium Dioſpolitanum habitum apud
Liddá, quæ Dioſpolis dicta eſt ciuitas Paleſtinæ;
in quo Concilio Pelagius fuit abſolutus ſuos re-
tractans errores, & ſe Catholicum ſimulans, quos
tamen poſtea reſumpſit: In quo inter alios erro-
res, quos profitebatur Pelagius, recenſentur illi
qui ſpectant ad gratiam, qui numero *ſepti-
mus* eſt ita ſe habet, Gratiam Dei atque adju-
„ torium non ad ſingulos actus donari, ſed de li-
„ bero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina;
„ *octauus* Gratiam Dei ſecundum merita noſtra
„ donari; *decimus* Non eſſe liberum arbitrium, ſi
„ Dei indigeat auxilio, quoniam in propria vo-
„ luntate habet vnuſquiſque facere aliquid vel
„ non facere; *vndecimus* Victoriam noſtram non
„ eſſe ex Dei adiutorio, ſed ex libero arbitrio;
„ *duodecimus* Petentibus veniam non dari ſe-
„ cundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed

Digitized by Google

„ ſecundum merita & laborem eorum, qui per
„ pœnitentiam digni fuerunt miſericordia.

Iam ſatis & abundè demonſtrauimus nos Catholicos nequidem Neotericos eſſe Pelagianos: nunc oſtendendum neque eſſe Semipelagianos aut Maſſilienſes, quod vt faciamus incipiamus à notioribus: Certiſſimum autem id fore arbitror, ſi demonſtremus nos non verſari in ijs erroribus, qui in Semipelagianis & Maſſilienſibus damnati ſunt, quod nullibi melius videri poteſt, quàm in ſententijs contra eos latis. Legatur autem Concilium Arauſicanum, numquam in eo inuenietur eſſe damnatos, quod negauerint gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, vel negauerint gratiam Dei ita determinare & neceſſitare voluntatem hominis ad vnum, vt neceſſariò obſequatur gratiæ, illi reſiſtere & eam repudiare non poſſit, ſed tantum quod vires naturæ, gratiæ anteposuerint, quod initium à ſe, à gratia augmentum tantum prouenire dicerent. Quod quidem Concilium conſtans. 25. Canonibus, integrum trāſcribere operæpretium non videtur: nec enim de gratia tantum loquuntur, ex quibus accipe Canonem tertium: Si quis ad inuocationem
„ humanam gratiæ Dei dicit conferri, non au-
„ tem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à no-
„ bis, contradicit Eſaiæ, & c.4. ſi quis vt à pecca-
„ to purgemur, voluntatem noſtram Deum ex-
„ pectare contendit, non autem etiam vt à pec-

Digitized by Google

» cato purgari velimus per Sanĉti Spiritus infu-
» ſionem & operationem in nos fieri profitetur,
» reſiſtit ipſi Spiritui Sanĉto per Salomonem di-
» centi; Præparatur voluntas à Domino, & Apo-
» ſtolo ſalubriter prædicanti, Deus eſt, qui ope-
» ratur in nobis & velle & perficere, 5. ſi quis ſi-
» cut augmentum ita etiam initium fidei, ip-
» ſum credulitatis effectum, quo in eum credi-
» mus, qui iuſtificat impium, & ad regeneratio-
» nis baptiſmum peruenimus, non per gratiæ
» donum, id eſt per inſpirationem Spiritus San-
» ĉti corrigentem voluntatem noſtram ab infi-
» delitate ad fidem, ab impietate ad pietatem,
» & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis
» dogmatibus aduerſarius approbatur, &c.

Cæteros hîc tranſcribere nimis longum foret, qui omnes ex Sanĉto Auguſtino mutuati ſunt, vt notat Binius. Sed quia Ianſenius cum nullis verbis expreſſis poſſit probare Catholicos eſſe Semipelagianos aut Maſſilienſes, id nititur eruere per conſequentias ex diuerſis textibus Sanĉti Auguſtini conſutis, retundamus illius conſequentias per eoſdem textus, quos allegat. in lib. 2. cap. 3. tomo 3. p. 90. notat recentiores abuſos fuiſſe Capite 33. libro de Spiritu & littera in ſuos vſus, eoſque accepiſſe obieĉtionem pro ſolutione, non diffitens eam ſibi aduerſari, quod certè vix inficiari poſſum: & cauſa abuſus fortaſſe fuit, quod integrum Caput littera eadem & commu-

Digitized by Google

ni ſcriptum ſit; ſed ille mala mente & malo animo diſſimulauit ſolutionem, quæ eſt in Capite ſequenti, cuius tamen quædam verba tranſcripſit, ſed non ſibi aduerſantia: Attendat inquit,
» Sanctus Auguſtinus, & videat non ideo tan-
» tum iſtam voluntatem diuino muneri tribuen-
» dam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis
» naturaliter concreatum eſt, verum etiam quod
» viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus &
» vt credamus ſiue extrinſecus per Euangelicas
» exhortationes, vbi & mandata legis aliquid
» agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmi-
» tatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem creden-
» do confugiat, ſiue intrinſecus vbi nemo habet
» in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed
» conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.
» His ergo modis quando Deus agit cum ani-
» ma rationali vt ei credat, neque enim cre-
» dere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla
» ſit ſuaſio vel vocatio, cui credat, profecto &
» ipſum velle credere Deus operatur in homi-
» ne, & in omnibus miſericordia eius præuenit
» nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea
» diſſentire, ſicut dixi, propriæ volũtatis eſt. Quæ
» res non ſolum non infirmat quod dictum eſt,
» quid enim habes quod non accepiſti, verum
» etiam confirmat: accipere quippe & habere
» anima non poteſt dona, de quibus hoc audit,
» niſi conſentiendo ac per hoc quid habeat &

Digitized by Google

„ quid accipiat Dei eſt; accipere autem & ha-
„ bere vtique accipientis & habentis eſt. Iam ſi
„ ad illam profunditatem ſcrutandam quiſ-
„ quam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur vt per-
„ ſuadeatur, illi non ita, duo ſola occurrunt in-
„ terim, quæ mihi reſpondere placeat; O altitu-
„ do diuitiarum, & numquid iniquitas apud
„ Deum, cui reſponſio iſta diſplicet, quærat Do-
„ ctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptores.
Vnde ſatis liquet nos non eſſe Semipelagianos aut Maſſilienſes, niſi eo modo, quo & Sanctus Auguſtinus, qui docet Deum ita nobis impartiri gratiam ſuam ad bene agendum & volendum, ita nobis dare currere & velle, vt noſtræ poſtea ſit electionis conſentire aut diſſentire, quod etiam nobis placet confirmare ex alio loco Sancti Auguſtini in libro 1. Quæſt. 12. ad Simplicianum, quem Dominus Ianſenius reprobare conatur, cuius hæc ſunt verba; Opus eſt ergo
„ currere & velle, non enim fruſtra diceretur,
„ Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis: &
„ Sic currite vt comprehendatis, non tamen vo-
„ lentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei,
„ vt quod volumus adipiſcamur & quò volumus
„ perueniamus: Noluit ergo Eſaü & non cucur-
„ rit, ſed ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjuto-
„ rio perueniſſet, qui etiam velle & currere vo-
„ cando præſtaret, niſi vocatione contemptâ re-
„ probus fieret. Aliter enim Deus præſtat vt

Digitized by Google

» velimus, aliter præſtat quod voluerimus, vt » velimus enim, & ſuum eſſe voluit & noſtrum » ſuum vocando & noſtrum ſequendo; quod » autem voluerimus ſolus præſtat, id eſt poſſe » bene agere & ſemper beatè viuere. Quorum vim & energiam Ianſenius impotens ferre, currit ad effugia & iniurias, & dicit Franciſcum Suares, Bellarminum, Leſſium hoc abuſos textu ad ſtabiliendam gratiam ſufficientem, & quia rectè vſos videt illo ſtante, illum ſic diruere conatur, Nempe, Sanctum Auguſtinum hoc argumentum ſibi propoſuiſſe refellendum, eumque refellere, vt doceret ſe reſipiſcere ab errore Semipelagianorum, in quo verſabatur ante Epiſcopatum, & probare ſe putat dicendo S. Auguſtinum primum iecisse fundamentum ex diſciplina Catholica, Nouerit (Deum) ſibi præſtitiſſe vt crederet, qui miſeretur inſpirando fidem, cuius miſertus eſt, vt adhuc infideli fidem impertiret iam enim diſcernitur fidelis ab impio: quid enim habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis? Quod quid operatur non video, poſtea textum ſuperiorem ſubuertit; & dicit S. Auguſtinum quærere an quod Eſau non credidit procedat ex eius voluntate quia noluit; & dicit Sanctum Auguſtinum hoc refellere ex Apoſtoli verbis, Si ergo Iacob ideo credidit quia voluit, non ei Deus donauit fidem, ſed eam ſibi ipſe volendo præſtitit,

& habuit aliquid quod non accepit. Ego verò reſpondeo Dominum Ianſenium non vera dicere, cum dicit Sanctum Auguſtinum hoc refellere quod dicitur de Eſau, quia noluit, nec verba ſequentia id concludunt, quia & Eſau potuit habere fidem, quæ illi oblata fuit, & ſi amplexus eam eſſet, eam habuiſſet ex dono Dei, niſi vocatione contemptâ, reprobus factus fuiſſet, & illam Iacob habuit ex dono Dei, quia vocationem ſuam non contempſit; & hæc ſolutio ſiue interpretatio non mea, ſed ipſius ſancti Auguſtini eſt, verba enim quæ Ianſenius improbat & irrita facere conatur, ſunt ordine poſteriora; & tantum abeſt vt ab Auguſtino refellantur, vt potius illa addat in confirmationem eorum, quæ paulo ante dixerat; Nemo itaque,
» inquit, credit non vocatus, ſed non omnis cre-
» dit vocatus: multi enim ſunt vocati, pauci ve-
» rò electi, vtique ij qui vocantem non con-
» tempſerunt, ſed credendo ſequuti ſunt, vo-
» lentes autem ſine dubio crediderunt, quid
» eſt ergo quod ſequitur, Igitur neque volen-
» tis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei:
» an quia nec velle poſſumus niſi vocati, & nihil
» valet velle noſtrum, niſi vt proficiamus adiu-
» uet Deus? Deinde ſequitur textus à nobis allatus. Valeat nunc quod garrit Ianſenius cum ſua differentia eius, quod docuit Sanctus Auguſtinus ante vel poſt Epiſcopatum: ſufficit enim

Digitized by Google

Sanctum Auguſtinum nec refelliſſe nec reuocaſſe. Multum temporis impendi in euoluendis libris Retractationum & de prædeſtinatione Sanctorum, quem citat, vt indagarem ſi Auguſtinus ſe retractaſſet, aut contrarium eſſet loquutus, & fruſtrà.

Poſtea Ianſenius quædam loquitur de Semipelagianiſmo, quæ refutatione digna non iudico. Sed non debeo diſſimulare quæ concludit pro ſua gratia efficaci. Ex his verbis in eodem capite. *Nam ſi propterea ſolum dictum eſt, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia voluntas hominis ſola non ſufficit vt rectè iuſteque viuamus, niſi iuuemur miſericordia Dei, poteſt & hoc modo dici, Igitur non eſt miſerentis Dei, ſed volentis eſt hominis, quia miſericordia Dei non ſola ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur: & illud manifeſtum eſt fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem neſcio quomodo dicatur, fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, ergo iam volumus, ad eandem quippe miſericordiam pertinet vt velimus, Deus enim qui operatur in nobis & velle operari, &c.*

Ex quibus exiſtimat ſequi, gratiam neceſſariò efficere vt quis credat, nam ſi aliter, ſi libere, ita vt vocatio contemni poſſet, non eſſet inter nos controuerſia. Ego vero non modo nego, ſed contrarium inde ſequi aſſero, difficultas non

poteſt

poteſt conſiſtere, niſi in illis verbis: illud autem neſcio quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus; ſi enim Deus miſeretur, ergo iam volumus: ad eandem quippe miſericordiam pertinet vt velimus. Accipiat lector ſolutionem ex Sancto Auguſtino in verbis immediate ſequentibus, & diſcet nos non partiri
» cum Deo, vt Ianſenius objicit. Nam ſi quæ-
» ramus, inquit, vtrum ſi ſit Dei donum bona
» voluntas, mirum ſi negare quiſquam audeat:
» at enim quia non præcedit voluntas bona
» vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem,
» propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod
» bene volumus, nobis verò tribui non poteſt
» quod vocamur. Non igitur ideò dictum eſt
» Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis
» eſt Dei, quia niſi eius adiutorio non poſſu-
» mus adipiſci quod volumus, ſed ideo potius
» quia niſi eius vocatione non volumus. Sed ſi
» vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis,
» vt omnis vocatus ſequatur, quomodò verum
» erit, Multi vocati, pauci electi? quod ſi ve-
» rum eſt, & non conſequenter vocationi vo-
» catus obtemperat, atque vt obtemperet in
» eius eſt poſitum voluntate, rectè etiam dici
» poteſt, igitur non miſerentis Dei, ſed volen-
» tis atque currentis eſt hominis, quia miſeri-
« cordia vocantis non ſufficit, niſi obedientia
« vocati ſequatur.

Digitized by Google

Et ſi ſatis abundè, vt arbitror, probauerimus malè Ianſenium collegiſſe ex Sancto Auguſtino, eos, qui dicunt poſſe reſiſti diuinæ gratiæ, eſſe Semipelagianos aut Maſſilienſes: tamen libet iterum ex Sancto Auguſtino probare, eos eſſe Semipelagianos, qui negabant gratiam Dei neceſſariam eſſe ad velle; non autem quod eâ poſitâ humana voluntas eam repudiare poſſet. Probatur ex capite 4. libro de Prædeſtinatione ſanctorum, vbi non ſolum patet Semipelagianos negare tantum gratiam neceſſariam ad velle, ſed etiam Sanctum Auguſtinum docere credere vel non credere eſſe in arbitrio voluntatis „ humanæ, his verbis. Proinde poſſe habere fi„ dem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ „ eſt hominum. Habere autem fidem quem„ admodum habere charitatem, gratiæ eſt fi„ delium; illa itaque natura, in qua nobis data „ eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit ab „ homine hominem, ipſa verò fides diſcernit „ ab infideli fidelem: ac per hoc vbi dicitur, „ Quis enim te diſcernit? quid autē habes quod „ non accepiſti? quiſquis audet dicere, Habeo „ ex me ipſo fidem, non ergo accepi, profecto „ contradicit huic apertiſſimæ veritati, non quia „ credere vel non credere non eſt in arbitrio vo„ luntatis humanæ, ſed in electis præparatur vo„ luntas à Domino, ideo ad ipſam quoque fi„ dem, quæ in voluntate eſt, pertinet. Quis enim

» te diſcernit? quid autem habes quod non acce-
» piſti? Vnde concludi poteſt S. Auguſtinum non plus petere à Semipelagianis quàm fidem à Deo dari, non autem gratiam Dei determinare & neceſſitare voluntatem: quin contra Auguſtinus fatetur poſt acceptam fidem liberum remanere in arbitrio hominis credere vel non credere; quod etiam videre eſt apud eundem Auguſtinum Epiſtola 107. ad vitalem, in qua Auguſtinus vt abſtrahat eum à peruerſa Semipelagianorum doctrina, qua credebat fidem non eſſe donum Dei, ſed à natura haberi, ſtatim initio Epiſtolæ ſcribit ſe orare Deum vt conuertatur. Et poſtea
» ſic argumentatur aduerſus illum: Si fides eſt ex
» natura, & habeatur per legem, per doctrinam,
» & per prædicationem, fruſtra in Eccleſia
» orationes fiunt pro Barbaris infidelibus & in-
» credulis, vt conuertantur ad fidem, *his verbis*,
» quid eſt ergo quod ait Apoſtolus, Deus in no-
» bis operatur & velle & perficere? Reſpondes
» per legem ſuam, per ſcripturas, &c. quæ ſi dicis,
» profectò noſtris orationibus contradicis. Dic
» ergo apertiſſimè nos pro ijs, quibus Euange-
» lium prædicatur, non debere orare vt credant,
» ſed eis tantummodo prædicare. Exerce con-
» tra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, &
» quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhor-
» tantem populum Dei orare pro incredulis, vt
» eos Deus conuertat ad fidem, & pro Cathe-

Digitized by Google

„ cumenis, vt eis deſiderium regenerationis inſ-
„ piret; & pro fidelibus, vt in eo quod eſſe cœ-
„ perunt, eius munere perſeuerent, ſubſanna pias
„ voces, & dic te non facere quod hortatur,
„ id eſt Deum pro infidelibus, vt eos fideles fa-
„ ciat, non rogare, eo quod iſta non ſint diuinæ
„ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia vo-
„ luntatis; ex quibus verbis nemo vnquam poterit concludere quod intendit Ianſenius, nempè Semipelagianos fateri initium fidei, & fidem à Deo dari: negare autem arbitrium hominis poſſe repudiare gratiam Dei, quod certè falſum eſt. Quod ſi fortè quiſquam dubitare poſſit, qualis fuerit doctrina Semipelagianorum, an vt eam diſcribit Ianſenius ex ſuo cerebro, an vt nos ex Sancto Auguſtino, cuius tamen tantum ſententiam ſe propalare, non ſuam, iactitat, inquiramus Sancti Auguſtini diſcipulos, & videamus quis noſtrûm rectiùs ſentiat, & videbimus Proſperum eadem dicere, quę Magiſter ſuus: ſic enim loquitur Lib. 10. reſponſionum ad obiectionem
„ octauam: Infidelitatem hominum ipſis aſcriba-
„ mus hominibus; fidem autē hominum donum
„ Dei eſſe fateamur, ſine cuius gratia nemo cur-
„ rit ad gratiam, & cum ducentis quatuordecim
„ ſacerdotibus, quorum conſtitutionem contra
„ inimicos gratiæ Dei, totus mundus amplexus
„ eſt, veraci profeſſione quemadmodum ha-
„ bet ſermo, dicamus gratiam Dei per Ieſum Chri-

Digitized by Google

» ſtum dominum, non ſolum ad cognoſcendam,
» verumetiam ad faciendam iuſtitiam, nos per
» ſingulos actus adiuuare. *Item*, Sine illa, nihil
» veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, di-
» cere, agere valeamus: neque hæc dona ita ex
» Deo eſſe opinemur, quia ipſe naturæ noſtræ
» auctor eſt. *Et libro 3. in reſponſione ad tria du-
bia ſic loquitur: Si enim conſideremus Pelagianæ
» argumenta perfidiæ, quid magis nititur obti-
» nere, quàm vt videatur gratia Dei ſecundum
» merita noſtra dari, vt in eo ipſo, in quo gra-
» tiam noſtram confitetur, meritis eam humanæ
» voluntatis eneruet? quam peruerſitatem om-
» nino incurrit, qui fidem ad Dei munera non pu-
» tet pertinere: aut ideo eam ſe iactitat ad Deum
» referre, quia ab ipſo ſit creata natura, cui
» rationabilem inſeruit libertatem, per quam
» vnuſquiſque & credere & non credere in
» ſua habet poteſtate; & de hoc naturali bono,
» qui nullis præcedentibus meritis cum crea-
» retur accepit, cætera dona mereatur, &c.

Idem videre eſt in reſponſione ad quintum
» dubium: In his verbis (inquit) qui non recipit,
» cuius videtur eſſe ſententiæ, niſi dicentis fi-
» des, per quam iuſtificor ex me eſt, & hoc
» bonum, ex quo iuſtus viuit, non accepi per
» gratiam, ſed habeo per naturam: ſi ergo fides
» donum Dei non eſt, fruſtra & Eccleſia pro
» non credentibus orat vt credant, & ſufficit

Digitized by Google

„ impijs magiſterium legis adhiberi, de qua
„ dictum eſt, Si ex lege eſt iuſtitia, ergo Chri-
„ ſtus gratis mortuus eſt; Quod ſimiliter dici
„ poteſt etiam de Natura. Fruſtra etiam Apoſto-
„ lus gratias agit Deo pro his, qui Euangelium
„ receperunt, cum hoc ſecundum Pelagianos,
„ non Dei ſit præſtitum munere, ſed ex ſola
„ habeatur hominum voluntate, & fruſtra qui-
„ buſdam præcaturi idem quod Apoſtolus, vt ſit
„ eis pax & charitas cum fide à Deo patre, &
„ Domino Ieſu Chriſto, vt iam non ſolum de
„ fide, ſed etiam de pace & charitate ſuperbiâ
„ hæreticorum conuincatur, dicere de proprio ſe
„ has habere virtutes. Quod ſi hæc ex homine
„ ſunt, quid obeſt vt non ex ſemetipſo habeat &
„ cætera bona, inferiora ſunt quæ cum audeat
„ ſibi deputare quæ ſumma ſunt, & ſine quibus
„ alia quamuis multa & clara non proſunt. Qui
plura ex Proſpero videre volet, adeat illum lib. 4. Cap. 19. & 20. & in Epiſtola ad Auguſtinum.

Poſt Proſperum conſulamus Fulgentium: ipſe nobis dicet errorem Semipelagianorum in eo tantum ſitum eſſe, quod crederent ſe poſſe habere voluntatem credendi ſine gratia Dei: de auxilio autem neceſſitante nullam ab eo mentionem fieri; in Cap. enim 17. reprobat illam propoſitionem Semipelagianorum, Meum eſt
„ velle credere, Dei autem gratiæ eſt adiuuare;
„ male enim hac ratione gratiam Dei ſuæ vo-

Digitized by Google

„ luntati poſtponit, cùm iſta bona eſſe non poſſit,
„ ſi illa defuerit. Et Cap. ſequenti: Si verò (in-
„ quit) ſecundum opinionem illorum noſtrum
„ eſt velle credere, priuſquam Dei gratia in-
„ cipiat adiuuare, iniuſtè gratia dicitur, quia
„ non gratis datur homini, ſed bonæ retribuitur
„ voluntati: *ſtatimque addit*, Non autem miſeri-
„ cordia Dei aliquando præuenit hominem, ſi
„ numquam bonam facit, ſed expectat vt inue-
„ niat voluntatem. Vide *& Caput 22. 24. & lib. 1. de veritate prædeſtinationis & gratiæ Dei, & lib. 2. & in Epiſtola Synodica Epiſcoporum exulum in Sardinia*, præmiſſa libris Fulgentij de veritate prædeſtinationis ſcripta contra errores Pelagianorum, vbi hæc legi poſſunt: Ante lar-
„ gitatem quippe gratiæ, eſt in homine qui-
„ dem liberum arbitrium, ſed non bonum, quia
„ non illuminatum; proinde niſi gratia detur,
„ bonum ipſum liberum arbitrium non habe-
„ tur: ſic namque eſt liberum hominis arbitri-
„ um, abſque dono gratiæ, ſicut eſt oculus ſine
„ luce; Nam & oculus ad videndum factus eſt,
„ ſed niſi lumen acceperit, non videbit. Illa au-
„ tem eſt lux vera, quæ illuminat omnem ho-
„ minem venientem in hunc mundum: illumi-
„ nat autem hominem ſe ipſam dando per gra-
„ tiam. Sicut ergo corporis oculus ſemper in-
„ diget lumen accipere, vt illud poſſit aſpicere,
„ ſic & libero arbitrio hominis nulla poteſt gra-

» tiæ ſuffragari cognitio, niſi detur ipſius gratiæ
» ſpiritalis infuſio. *Et infra*, Quod autem vos
» dicitis ſola Dei miſericordia ſaluari hominem,
» illi autem dicunt, Niſi quis propria voluntate
» cucurrerit & laborauerit, ſaluus eſſe non po-
» terit. Dignè vtrumque tenetur, ſi rectus ordo
» ſeruetur diuinæ miſericordiæ & voluntatis hu-
» manæ, vt illa præueniat, hæc ſequatur; ſola
» Dei miſericordia initium ſalutis conferat, cui
» deinde voluntas hominis cooperatrix ſuæ ſalu-
» tis exiſtat, vt miſericordia Dei præuenientis
» voluntatis humanæ, dirigat curſum; & voluntas
» humana obediens, eadem miſericordia ſubſe-
» quente, ſecundum intentionem currat ad bra-
» uium, per hoc humana voluntas in eo quod
» currit vtiliter, & laborat, ex Dei miſericordia,
» ſibi eſſe donum curſus ac laboris agnoſcat; nec
» ſit ingrata miſericordiæ, per quam ſalutis acce-
» pit initium, vt per ipſam perueniat ad plenum
» ſempiternæ ſalutis effectum, quia tunc erit
» bona, ſi Dei præueniatur dono; & tunc per-
» manebit bona, ſi eius non deſtituatur auxilio.
» Errat autem quiſquis putat ſic à Domino tri-
» bui, velut ſi quis accepto idoneo pignore,
» pecuniam det, cum Dominus vtique & pi-
» gnus Spiritus Sancti ipſe quibus vult, conferat,
» & pecuniam ſuam nummularijs expetendam,
» ſicut ipſe loquitur in Euangelio, ſeruorum ſuo-
« rum curæ officioque diſtribuat.

Poſtquam

Digitized by Google

Poſtquam Pelagianiſmi aut Semipelagianiſmi, ſiue erroris Maſſilienſium notam, quam nobis Ianſenius inurere volebat, eluimus; Pergamus ad adiutorium gratiæ medicinalis Chriſti, quo Ianſenius ad omnes vſus abutitur. Primò dicit *eſſe cœleſtem ſuauitatem & delectationem iuxta mentem Auguſtini*, quod quamuis nulla probatione egeret, multis tamen nititur probare argumentis, *Nempè inductione ſeu enumeratione cuiuſuis generis bonarum operationum voluntatis, ad quas eam requirere Auguſtinum; item ex peccatis quæ ex ſimili delectatione terrena, tanquam ex cauſa proficiſci tradit; item ex lucta duarum delectationum terrenæ ac cæleſtis, quarum poſtrema niſi vicerit peccatum*, quæ omnia potius prædicatorem decent, quàm doctorem. Ex quibus tamen concludere nititur *victricem delectationem inde nomen trahere gratiæ medicinalis*. Quod tamen & ſi non negetur, & vt vt ſit, non video, inde ſequi talem neceſſitatem libero hominis arbitrio, vt aduerſus illam liberum hominis arbitrium pugnare & repugnare non poſſit, nec vllum profert textum, vnde illud concludi poſſit: quantamlibet enim habeat virtutem, illa medicinalis gratia, tamen niſi adhibita nihil poteſt operari, & à quocumque poteſt repudiari, nec quicquam neceſſariò agit, nec vllam imponit neceſſitatem voluntati. Ita enim eſt à Deo creata humana natura, vt omnino ſit libera, Deus enim, qui potuit habere ſeruos qui

Lib. 4. c. 1. & ſeq. tom. 3.

E

illi ſeruirent neceſſariò, voluit habere qui ſeruirent liberè, vt in multis locis ipſe declarat Sanctus Auguſtinus. Nec obſunt loca, quæ profert Ianſenius, Capite 14. Lib. 4. de gratia Chriſti ſaluatoris ex Libro primo Fulgentij his verbis; Ipſe, inquit, donat gratis indigno gratiam, qua iuſtificatus impius illuminetur lumine bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, vt præueniente miſericordia bonum velle incipiat, & ſubſequente miſericordia bonum quod vult facere valeat. Quis enim hoc negat? ſed voluntatem neceſſariò ſubſequi gratiam, omnes negant, & ipſe Fulgentius in loco citato à Ianſenio Capite

Libro de vera Religione, c. 14. tomo 1.

» 18. vbi Fulgentius dicit, Deum homines, quibus
» dat gratiam, antequam illam dederit non inue-
» nire humiles, ſed dãdo gratiam humiles facere:
» gratiam enim dat per gratiam, ſed ita, vt quiſ-
» quam illã acceperit humilis fiat; vnde ſequitur
» humilem non fieri, ſi recuſet. Ac ne forte quis dicat homines eam non poſſe recuſare, accedat iterum Fulgentius docens eos humiles non fieri, qui humilitatem reiecerunt, cuius Fulgentij hæc
» ſunt verba: Neque verò Deus humiles quibus
» dat gratiam, ante datam humiles inuenit,
» ſed dando gratiam humiles facit: hoc ipſo
» enim gratiam Deus per gratiam donat, vt quiſ-
» quis eam acceperit humilis fiat, propter quod
» ipſe vnigenitus ſanctæ humilitatis doctor at-
» que largitor dicit, Diſcite à me, quia mitis ſum

Fulgentius c. 18. de Præd. duplici ad Monimum.

Digitized by Google

» & humilis corde, & inuenietis requiem ani-
» mabus veſtris: Hanc requiem perdiderunt qui
» humilitate reiectâ tumuerunt, &c. Eadem competit ſolutio duobus locis ſequentibus, ex libro de Incarnatione & gratia Ieſu Chriſti eiuſdem auctoris, quibus licet malè citatis, ita vt eos inuenire non potuerim, tamen hanc etiam addo ſolutionem ex eodem libro Fulgentij Capite 16. iam à me antea allegato: Proinde, inquit, ſi
» quis dicit meum eſt velle credere, Dei au-
» tem gratiæ eſt adiuuare, mutet igitur dictorum
» ordinem, imo non mutet, ſed ſeruet: nec quod
» poſterius eſt, in priore loco, nec quod eſt prius
» in loco poſteriori conſtituat, malè enim ſuam
» gratiæ Dei voluntatem præponit, cum iſta
» bona eſſe non poſſit, ſi illa defuerit; non enim
» dicat meum eſt velle credere, Dei autem gra-
» tiæ eſt adiuuare, ſed dicat gratiæ Dei eſt adiu-
» uare, vt ſit meum velle credere, tunc enim verè
» rectéque ait, eius hoc velle, cum eum gratia
» præueniens cœperit adiuuare.

Quod addit Ianſenius ex Auguſtino, Concilio Arauſicano & Tridentino, tãtum de præueniente Dei gratia loquuntur, quam nemo negat, & nos ſupra Concilium Arauſicanum protulimus, vt oſtenderemus cuius criminis Semipelagiani conuicti & damnati eſſent, quod initium fidei & bene agendi, ſibi, non Deo tribuerent; non vero quod negarent libertatem arbitrij ad vtrumli-

Digitized by Google

bet poſt ſuſceptam gratiam. Quod verò Ianſenius pro ſe inducit Concilium Tridentinum, ſummæ impudentiæ eſt, cum Ianſenij errorem in Caluino damnarit, vt ſuo loco demonſtrabitur. Sufficit hîc probaſſe gratiam Chriſti medicinalem, licet virtutis infinitæ, non operari, niſi ſit adhibita: quemadmodum humana medicina, quanquam habeat in ſe virtutem ſanandi ægrum, tamen quamdiu remanet apud Pharmacopolam, nihil operatur, niſi ab ægro ſuſcipiatur; Multi autem ſunt ægri, qui eam reſpuunt, humi fundunt. Quæ quidem illa ratiocinatio non mea eſt, ſed Sancti Ambroſij lib. 3. de ſecunda interpellatione Dauid: Venit inquit, Dominus Ieſus vt ſaluum fa-
» ceret quod perierat: venit ergo vt peccatum
» mundi tolleret, vulnera noſtra curaret; ſed
» quia non omnes medicinam expetunt, ſed
» plerique refugunt, ne medicamentis compun-
» gatur vis vlceris, ideo volentes curat, non aſtrin-
» git inuitos, accipiunt ergo ſanitatem, qui ſani-
» tatem expetunt. Nec alio modo loquitur San-
» ctus Hilarius, aut quiſquis ſcriptor Commentariorum in Epiſtolas Pauli, qui inter Am-
» broſiana leguntur, Vult (inquit) Deus om-
» nes ſaluos fieri, nec enim ſic vult vt nolentes
» ſeruentur, ſed vult illos ſaluari ſi & ipſi ve-
» lint.

Sed Dominus Ianſenius non contentus ſic curaſſe male ſanam ſuam ſententiam, per medi-

Digitized by Google

cinalem gratiam Chriſti, alio modo eam tueri conatur, ſed maiori abſurditate, primùm dicendo ſe non tollere liberum arbitrium, & re ipſa tollendo, dicit enim, *Gratiam Dei ſic liberare liberum arbitrium, vt non amplius ſit liberum ad peccandum, ſed liberum imò liberius quàm antea ad ſemper bene agendum, cum agatur à gratia ita neceſſariò, vt ſemper gratiæ obſequatur, & quamuis neceſſariò, tamen liberè*; Et quia videt hoc abſurdum cuilibet videri, recurrit ad effugium iamdudum à Caluino excogitatum & refutatum, *Nempè neceßitatem non opponi libertati, ſed tantum coactioni*; Ita vt quod iam erit liberum ſit neceſſarium, idque probare conatur exemplis libertatis Dei, Chriſti, Angelorum, beatorum hominum, & Dæmonum.

Idem repetit Ianſenius, l.6.c.35.tom. 3.p.300.

Sed his omnibus facile eſt reſpondere, liberum quidem arbitrium ita liberatum per gratiam, vt homo non ſit amplius ſeruus peccati ſed omnino liber, ita vt poſſit peccare & non peccare, bonum eligere & malum reſpuere: aliter fruſtra hæc illi in ſcripturis toties præſcriberetur; ſicque tantum abeſt, vt eius liberum arbitrium determinetur ad vnum, quin potius videtur reſtitutum vt erat in puris naturalibus, quia homo baptizatus & Chriſtianus factus, priſtinam recuperauit libertatem, etſi adhuc ab hoc fomite peccati, nempe concupiſcentia, remaneat grauatus, tamen ſemper illi occurrit & ſubuenit

Digitized by Google

gratia Chriſti, quâ bene vel male vtens ſaluabitur, aut condemnabitur; Nemo enim negare poteſt Deum vnicuique dare gratiam, omnes enim liberauit quotquot voluerunt liberari: Deus enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; illud enim lumen, vt inquit Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manicheos cap.3. Non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad eius præcepta ſeruãda conferunt, quod omnes homines poſſunt ſi velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum: quod enim Sanctus Auguſtinus alibi intelligit & interpretatur caput primum Ioannis, de ijs tantum qui actu ſaluantur; intelligendum eſt de voluntate conſequente non antecedente. Nam vt inquit Sanctus Ambroſius in Pſalmo 118. ſerm. 8. myſticus ille ſol iuſtitiæ, omnibus ortus eſt, omnibus, venit, omnibus paſſus eſt, vt tolleret peccatum mundi; ſi quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ſe fraudat, vt ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat, non ideo ſol non ortus eſt omnibus, quia calore eius ipſe ſe fraudauit: ſed quod ſolis eſt, prærogatiuam ſuam ſeruat: quod imprudentis eſt, communis à ſe grâtiam lucis excludit. Et libro vndecimo de Cain & Abel cap.13. Ideo omni-

Digitized by Google

» bus opera ſanitatis detulit, vt quicumque pe-
» rierit, mortis ſuæ cauſas ſibi adſcribat, qui cu-
» rari noluit, cum remedium haberet, quo poſſet
euadere: Vnde ſatis liquet, ita liberum homini
remanere arbitrium, poſtquam ſanatum eſt, ad
vtrũlibet, vt poſſit peccare & negligere gratiam
quæ in ſe eſt. Quod ſi quis in dubium adhuc re-
uocare audeat; audiat Sanctum Auguſtinum li-
bro de Libero arbitrio cap. 19. ſic loquentem:
» Cum vbique ſit præſens, qui multis modis per
» creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum
» vocet, doceat credentem, conſoletur ſperan-
» tem, diligentem exhortetur, exaudiat depre-
» cantem, non tibi deputatur ad culpam ad
» ignoras, ſed quod negligis quærere quod igno-
» ras, Quod etiam repetijt, libro de natura &
gratia, agens contra Pelagianos, & Oroſius Apo-
logetico aduerſus Pelagium, ex quo cum multa
tranſcribere poſſem breuitati ſtudens, concluſio-
nem tantum tibi propono: Ex quo, inquit, eui-
» dentiſſime declaratum eſt, nemini hominum
» Dei deeſſe adiutorium, præſertim cum & ſe-
» ductor inſiſtat, & inſit infirmitas. Proſper ad
» Demetriadem: In omnibus monitis Dei vna
» eademque ratio eſt, & diuinæ gratiæ & huma-
» næ obedientiæ? & Scriptor de vocatione gen-
» tium lib. 1. cap. 5. ſecundum ipſam (ſcriptu-
» ram) credimus, & pijſſimè confitemur, quod
» numquam vniuerſitati hominum diuinæ pro-

Digitized by Google

» uidentiæ cura defuerit, quæ licet exceptum
» ſibi populum ſpecialibus ad pietatem duxerit
» inſtitutis; nulli tamen nationi hominum boni-
» tatis ſuæ dona ſubſtraxit, vt propheticas vo-
» ces & præcepta legalia conuincerentur in ele-
» mentorum obſequijs ac teſtimonijs accepiſſe,
» capite 21. Credere ſe, ait, nullis hominibus,
opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam, libro 11.
cap. 4. quamuis enim ſpeciali cura atque indul-
» gentia Dei populum Iſraeliticum conſtet ele-
» ctum, omneſque alias nationes ſuas vias in-
» gredi, hoc eſt ſecundum propriam permiſſæ
» ſint viuere voluntatem, non ita ſe tamen æter-
» na Creatoris bonitas ab illis hominibus auertit,
» vt eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum
» nullis ſignificationibus admoneret. *Mox*: Quo-
» niam etſi longè à peccatoribus eſt ſalus, præ-
» ſentia tamen ſalutis ipſius à virtute nihil va-
» cuum eſt. Deinde: nec de illa cura Dei, quæ
» Patriarcharum filijs propriè præſidebat, con-
» jiciendum eſt diuinæ miſericordiæ cæteris ho-
» minibus fuiſſe ſubtracta; qui quidem in com-
» paratione electorum videntur abiecti, ſed num-
» quam ſunt à manifeſtis occultiſque beneficijs
» abdicati, Cap. 5. ſed cum in illo populo cui vtra-
» que eruditio præfuit, nemo niſi gratia iuſtifi-
» catus ſit per Spiritum fidei, quis ambigat, eos,
» qui de quibuſcumque nationibus quibuſlibet
» temporibus Deo placere potuerunt ſpiritu
gratiæ

Digitized by Google

» gratiæ Dei fuiſſe directos; quæ & ſi parcior an-
» tea atque occultior fuit, nullis tamen ſæculis
» ſe negauit, virtute vna, quantitate diuerſa,
» conſilio immutabili, opere multiformi. Cap.
» 15. Adhibita enim ſemper eſt vniuerſis homi-
» nibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ,
» quæ & ſi parcioris occultiorisque gratiæ fuit,
» ſufficit tamen, ſicut Dominus iudicauit, qui-
» buſdam ad remedium, omnibus ad teſtimo-
» nium. Cap. 17. Quibus (gentibus) illa menſura
» generalis auxilij, quæ deſuper omnibus ſemper
» hominibus præbita eſt, non negatur. Cap. 23.
» Præter illam generalem gratiam parcius, atque
» occultius omnium hominum corda pulſantem
» excellentiore opere, largiore munere, poten-
» tiore virtute, vocatio ſpecialis exeritur. Cap. 25.
» Fuerunt enim, ac ſunt huiuſmodi dona ita ge-
» neralia, vt per ipſorum teſtimonia ad quæren-
» dum verum Deum poſſent homines adiuuari:
» quibus donis auctorem ſuum per omnia ſæcula
» proteſtantibus, ſpecialis gratiæ largitas ſuper-
» fuſa eſt; *Mox* apparere ait, non negatum vni-
» uerſitati, quod collatum eſt portioni. Cap. 26.
» Quæ opitulatio per innumeros modos, ſiue oc-
» cultos, ſiue manifeſtos omnibus adhibetur; &
» quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequi-
» tiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ
» diuinæ eſt, & voluntatis humanæ. Cap. 31. Ela-
» boratum eſt quantum Dominus adiuuit, vt

» non ſolum in nouiſſimis diebus, ſed etiam in
» cunctis retrò ſæculis probaretur, gratiam Dei
» omnibus hominibus adfuiſſe, prouidentia
» pari,& bonitate generali,ſed multimodo opere
» diuerſaque menſura: quoniam ſiue occultè,
» ſiue manifeſtè, ipſe eſt, (vt Apoſtolus ait) Sal-
» uator omnium hominum maximè fidelium.
» Quæ ſententia ſublimiſſimæ breuitatis & vali-
» diſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur in-
» tuitu, totam hanc, de qua agimus, controuer-
» ſiam dirimit: dicendò enim, qui eſt Saluator
» omnium hominum, confirmauit bonitatem
» Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem:
» adjiciendo autem, maximè fidelium, oſtendit
» eſſe partem humani generis, quæ merito fidei
» diuinitus inſpiratæ ad ſummam atque æter-
» nam ſalutem ſpecialibus beneficijs prouehatur.
Poſſem plures eiuſmodi locos congerere.

Sed expedit noſcere qua fronte,& quo prætextu Ianſenius tam abſurda auſus eſt effutire. Fundamentum eius eſt, Liberatio liberi arbitrij per gratiam Chriſti medicinalem,vt iam diximus,ſed liberum arbitrium non poteſt eſſe liberatum,niſi à ſeruitute & captiuitate, in qua detinebatur propter peccatum, à quo cum liberatur, non aliam ſortitur naturam, quam antea habebat, ſed priſtinam & eandem recuperat, nec per liberationem Chriſti homo fuit alia creatura quàm erat antea, Chriſtus enim illius naturam non

Digitized by Google

deſtruxit, nec aliam ſtruxit. Ianſenius tamen vt homini adimat liberum arbitrium, ob quod iam vidit Caluinum damnatum, liberum arbitrium extollit verbo, vt re non minus tollat quàm Caluinus; vult enim liberum arbitrium liberatum à ſeruitute peccati, eſſe ſeruum gratiæ, quod certè hominis lucro cederet, ſi eſſet, ſed Deus aliter ſtatuit, qui cum homines poſſet habere ita ſeruos, vt illi ſeruirent neceſſariò, voluit habere qui illi ſeruirent liberè, Deus enim qui fecit nos ſine nobis, non vult ſanare nos ſine nobis, & ideo homines voluit eſſe liberi arbitrij, nec ſeruos peccati nec ſeruos gratiæ, ſed omnimodo liberos, vt poſſent eligere bonum vel repudiare malum, vel contra: quod cum Ianſenius nullomodo negare poſſit, tamen multa congerit teſtimonia Sancti Auguſtini & aliorum Patrum quibus ſuam ſe tueri ſententiam credit, quæ omnia cum expenduntur, friuola & ſibi aduerſantia reperiuntur, aut falſa.

Auguſt. ſer. 15. de verbis Apoſtoli.

Refutatio Cap. 1. lib. 6. de Gratia Chriſti, tomo. 3.

NAm libro ſexto de gratia Chriſti Saluatoris capite primo, & ſequentibus, multa ex Auguſtino allegat, quæ non modo illi concedi poſſunt, ſed contra eum induci. Cap. 1. refert Sanctum Bernardum definientem liberum » arbitriũ, ſic dicentem, His ergo talis conſenſus » ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & ra-

Ianſ. l. 6. de Gratia Chriſti, c. 1.

Digitized by Google

» tionis quod ſemper ſecum portat indeclinabile
» iudicium, non incommodè dicitur, vt arbitror, liberum arbitrium, ipſe liber ſui propter voluntatem, ipſe iudex ſui propter rationem. Quæ verba ſi attentè conſiderentur, ſufficiunt ad omnino deſtruendam ſententiam Ianſenij: quia ſi libertas voluntatis eſt inamiſſibilis, certè gratia illi illam non tollit; & ſi homo eſt ſemper liber ſui propter voluntatem, certe gratia illi non tollet libertatem, nec illum in ſeruitutem ſuam rediget, ſed liberum illi remanebit ſeruire peccato, aut ſeruire gratiæ. Nec aptius Ianſenius profert auctorem Hypognoſticum lib. 3. cap. 4. etiam definientem liberum arbitrium hoc modo; Arbitrium ab arbitrando rationali conſideratione vel diſcernendo quid eligat, quidue recuſet, puto quod nomen accepit: ideo liberum dictum, quod in ſua poſitum ſit poteſtate, habet agendi quod poſſit poſſibilitatem; vnde nihil concludi poteſt, niſi abſurdam eſſe Ianſenij ſententiam, qui cum fateatur cum his auctoribus liberum arbitrium non eſſe homini, niſi in ſua poteſtate ſit poſitum, agere vel non agere, velle vel non velle, accipere vel recuſare: tamen tam magnum opus non edidit, niſi vt contrarium probaret, & hominibus ſub gratia poſitis (vt inquit) libertatem eligendi malum tolleret, relictâ tantum eligendi boni facultate, cuius ſui dicti nullam aliam affert rationem, niſi

Digitized by Google

quod gratia Chriſti medicinalis voluntatem hominis ita in obſequium ſui trahit, vt determinet actum voluntatis ad vnum, & in ſuas partes trahat & ſubtrahat facultatem ſe vertendi in aliam partem quod eſt ſub prætextu priuilegij; Cuius Ianſenius malus eſt ſponſor, humanam penitus tollere libertatem. Quæ ſequuntur in hoc Capite ſunt textus Auguſtini, qui tantum abeſt vt faueant Ianſenio, quin potius eius ſententiam iugulant, quorum quoſdam, licet fruſtra, nec illis opus ſit, hîc tranſcribo. Profert ex Auguſtino libro de gratia & libero arbitrio, Capite 10. hæc verba: Nempè vbi dicitur noli hoc & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium; *& rursùs inferius*: Vtique cui dicitur noli vinci, arbitrium ſine dubio voluntatis eius conuenitur, velle enim & nolle propriè voluntatis eſt. Quomodo ergo, poſt hos Auguſtini textus, audet Ianſenius dicere, ſe non ſuam, ſed Auguſtini proferre ſententiam, cum adimit homini libertatem obſequendi gratiæ, aut recuſandi, cùm Auguſtinus tam apertè dicat proprium eſſe voluntatis velle aut nolle? Ergo Ianſenius tollit voluntati libertatem ſuam ad velle aut nolle, nec tamen deſiſtit in eodem capite plura ex Auguſtino eiuſmodi proferre teſtimonia, & inter alia hoc ex ſancto Ioanne Damaſceno lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 14.

Digitized by Google

Cum diuina natura, inquit, ſuapte natura liberum arbitrium, volendique facultatem habeat, homo quoque vt ipſius imago arbitrij libertate volendique facultate naturaliter prædirus erit; quippe Patres liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt, quos omnes textus à Ianſenio productos in illum retorquemus.

Refutatio Cap. 2. lib. 6. de Gratia Christi.

SEd in ſequenti Capite maiori cautela vſus Ianſenius: dicit *Liberum opponi ſeruo, captiuo, dominationi alterius ſubiecto, & quod eſt eſſe inalligatum inimpedimentum, &c.* quod illi vltro conceditur, nec in eo peccauit, ſed tantum in obmittendo; noluit enim dicere neceſſarium opponi libero, quod tamen aduerſus eum probabimus, cum contrarium probare conabitur.

Refutatio Cap. 3.

IN ſequenti Capite dicit liberum aliquid poſitiuum ſonare, eſſe dominum, eſſe ſui iuris, eſſe in poteſtate noſtra, eſſe gratia ſui; quæ omnia cum ſint veriſſima, rectiſſimè probat, ſed aduerſum ſe. Primò profert Auguſtinum hæc dicentem, Sic homo peccauit cum vult eſſe par Deo, id eſt liber eſſe ab eius dominio, ſicut ille ab omni dominio liber eſt, quoniam ipſe eſt Dominus omnium; Sed ſi qui liber eſt, eſt liber à dominio, ſi voluntas hominis determinetur

Lib. 2. de Geneſi contra Manich. c. 17.

Digitized by Google

& neceſſitetur à gratia, vt illi neceſſariò obſequatur, certè non erit libera. Quod vt probem, Ianſenius mihi commodat textum ex Sancto Auguſtino lib. 2. de libero arbitrio Cap. 3. vbi ſic diſſerit; Voluntas igitur noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate (ergo non eſt ſerua gratiæ, nec ab illa determinatur, aut neceſſitatur vt ſibi ſit obſequens.) Porrò quia eſt in poteſta-
» te, libera eſt nobis, non enim nobis eſt libe-
» rum quod in poteſtate non habemus, aut po-
» teſt non eſſe quod habemus; Atque etiam alium ex eodem Sancto Auguſtino ſermone 47. de diuerſis, ſermone de Eſaü figura peccatorum: vbi ſic loquitur; Quid eſt quod dictum eſt, Et
» erit tibi ſic, cum ſolueris jugum eius à ceruice
» tua, niſi quia oſtendit illos quos Eſaü præfi-
» gurabat, ſic eſſe peccatores, vt in poteſtate ha-
» berent, & in libero arbitrio mutare ſe, & fra-
» tri coniungi. Vnde ſatis liquet liberum arbitrium non neceſſitari à gratia, ſed ſua, non aliena, voluntate, ſe ipſum dirigere poſſe ad quodcumque voluerit. Liberum eſt enim homini arbitrium, quia illud in poteſtate habet, quod mihi ex Sancto Baſilio profert Ianſenius ſermone de libero arbitrio in initio, quod etiam dicit Nyſſenum explicare in oratione cathecumenorum cap. 31. Eſt enim ſolum, inquit, inanimorũ, aut eorum, quæ ſunt expertia rationis aliena voluntate ad id quod videtur adduci.

Digitized by Google

Sed certe maxime meæ ſententiæ fauet, & Ianſenij aduerſatur, quod profert ex eodem
» Nyſſeno cap.30. Qui inquit, in vniuerſitatem
» liberam habet poteſtatem propter ſummum
» in homines honorem, dimiſit etiam aliquid in
» noſtra poteſtate, cuius vnuſquiſque noſtrum
» ſolus eſt Dominus: hoc autem eſt liberi arbitrij libera electio, quæ ſubijci nequit, & ſui iuris eſt: vnde ſequitur voluntatem cum ſit ſui iuris, non poſſe neceſſariò ſubijci gratiæ, eamque habere liberam electionem amplectendæ aut recuſandæ gratiæ, id eſt, poteſt eligere: multi autem cum poteſtatem habeant eligendi, malum eligunt, bonum reſpuunt, ſic Multi vocati, pauci vero electi, multi enim bona vident, melioraque probant, qui tamen deteriora ſequuntur. Cum enim liberi arbitrij participes à ſummo illo opifice conditi ſimus, hinc efficitur, vt actiones noſtræ in noſtra poteſtate ſint, vt inquit Damaſcenus libro 2. orthodoxæ fidei, etiam à Ianſenio contra ſuam mentem productus.

Refutatio Cap. 4.

IN Capite ſequenti vult Ianſenius *explicare quid ſit eſſe in noſtra poteſtate, ſui actum habere in poteſtate iuxta Auguſtinum*, & dicit *Recentiores imaginari illum tantummodo actum eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt in libero noſtræ voluntatis arbitrio,*

arbitrio, & illius tantum nos eſſe dominos, quem pro libito noſtro, poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poſſumus facere, & non facere: quod licet veriſſimum, tamen improbat, & dicit eſſe contra mentem Sancti Auguſtini: quia & ſi Sanctus Auguſtinus definierit id liberum eſſe quod habemus in poteſtate, poſtea definit id eſſe ſeu habere nos in poteſtate, quod cum volumus facimus, & quam deffinitionem ad finem vitæ ſeruauit ſic loquens, Libro 3. contra Maximum capite 14. Hoc habemus in poteſtate, quod cum volumus poſſumus, præceptum verò id agit, vt cum iam eſt in poteſtate faciamus: ſi autem nondum eſt in poteſtate, oremus nobis poteſtatem dari. Quod cui bono faciat certè non video, nec quomodo illi proſit. Quis enim negat fruſtra aliquem aliquid velle, quod cum velit in poteſtate non habet? quandoquidem voluntas eſt inutilis, vbi voluntati facultas faciendi non adiacet; vnde hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit; ſi non vult, non facit, vt idem dicit Sanctus Auguſtinus, libro de Spiritu & littera cap. 31. Allegatus etiam à Ianſenio, qui etiam ex eodem, & ibidem, hunc etiam textum ſibi aduerſantem producit, cum duo quædam ſint velle & poſſe: vnde nec qui vult continuò poteſt, nec qui poteſt continuò vult, » quia ſicut volumus aliquando quod non poſ- » ſumus, ſic etiam poſſumus aliquando quod

„ nolumus. Satis euolutis etiam ipſis vocabulis
„ reſonat quod ab eo quod eſt velle voluntas,
„ ab eo autem quod eſt poſſe, poteſtas nomen
„ accepit; Quapropter ſicut qui vult habet vo-
„ luntatem, ita poteſtatem qui poteſt, ſed vt
„ poteſtate aliquid fiat, voluntas aderit. Atque iterum, *ex lib.1. Retractationum, cap.9.* quem Ianſenius citat cap. 39. cum tamen ſint tantum viginti ſeptem Capita, vbi etiam in tranſcribendo textu Auguſtini errauit Ianſenius, & ita legitur:
„ Non enim poſſes aliud ſentire eſſe in poteſtate
„ noſtra, niſi quod cum volumus facimus; qua-
„ propter nihil tam in noſtra poteſtate quàm ipſa
„ voluntas eſt: ea enim prorſus nullo interuallo
„ mox vt volumus præſto eſt. Adde etiam quod citat idem Ianſenius ex eodem Sancto Auguſtino lib.2. cap.1. Retractationum, quod nos vbe-
„ rius tranſcribemus. Quamuis ſit in poteſtate
„ cuiuſque quid velit, non eſt tamen in cuiuſ-
„ quam poteſtate quid poſſit: quod ideo dictum
„ eſt, quia non dicimus in noſtra poteſtate, niſi
„ cum quod volumus fit, vbi prius & maximè
„ eſt ipſum velle; ſine vllo quippe interuallo tem-
„ poris, præſto eſt voluntas ipſa, cum volumus. Quæ omnia neſcio quomodo poteſt dici aduerſari recentioribus, illi enim ipſo Ianſenio referente dicunt hoc ſolummodo eſſe in poteſtate noſtra, & in libero arbitrio noſtro, quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poſſumus face-

Digitized by Google

re & non facere. Quod idem dicit Sanctus Auguſtinus in locis ſupra citatis, quos à nobis aduerſus Ianſenium prolatos eſſe volumus, vt probemus gratiam non neceſſitare actum in ſui conſenſum, quidquid enim agat, ſemper conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt, vt inquit Sanctus Auguſtinus libro de Spiritu & littera cap. 34. Quem opportunè nobis etiam contra ſe exhibet Ianſenius.

Refutatio Cap. 5.

CApite autem ſequenti 5. diſſerit Ianſenius; *Quomodo omnis voluntas ſit in poteſtate & libera, & vult probare voluntatem non eſſe liberam, quia multa volumus quæ non poſſumus*; Sed hoc certè Sophiſma eſt. Licet enim ea verè ſint in noſtra poteſtate, quæ cum volumus poſſumus habere & facere; Multa tamen volumus, quæ non poſſumus, multi enim vellent habere multas diuitias, vel eſſe Reges, quod tamen non poſſunt, nec tamen hoc impedit quin voluntas ſit libera ad volendum, aut non volendum: Aliud eſt enim eſſe in poteſtate noſtra, aliud in voluntate. Nec textus Auguſtini libro tertio de libero arbitrio cap. 3. à Ianſenio productus aliud ſonat; Optimè » inquit, de te veritas clamat, non enim poſſes » aliud ſentire eſſe in noſtra poteſtate, niſi quod » cum volumus facimus: Vnde rectè ſequitur multa nos velle, quæ non poſſumus. Sed quod

Digitized by Google

ſequitur ex Auguſtino, manifeſtè declarat voluntatem noſtram eſſe in noſtra poteſtate, his
» verbis: Quapropter nihil tam in noſtra pote-
» ſtate, quàm ipſa voluntas, ea enim prorſus nul-
» lo interuallo mox vt volumus præſto eſt. Nec iuuat magis ſententiam Ianſenij textus ſubſequens *ex eodem Sancto Auguſtino, & ibidem,*
» *cuius hæc verba ſunt*: Et ideo rectè poſſumus
» dicere, non voluntate viuimus, ſed neceſſitate;
» aut non voluntate morimur, ſed neceſſitate, &
» ſic vt aliud eiuſmodi, non voluntate autem
» volumus, quis vel delirus audeat dicere. *Et*
» *paulo infrà*, Quod ſi non hoc modo dixerit,
» ſed dixerit ſe, quia neceſſe eſt vt velit, ip-
» ſam voluntatem in poteſtate non habere, oc-
» curretur ex eo quod ipſe dixiſti; vtrum inui-
» tus beatus ſit futurus. Reſpondiſti enim quod
» iam eſſes beatus, ſi poteſtas eſſet in te: velle
» enim te, ſed nondum poſſe dixiſti, vbi ego ſub-
» ieci, de te clamaſſe veritatem: non enim ne-
» gare poſſumus habere nos poteſtatem, niſi
» cum nobis quod volumus deeſt: dum autem
» volumus, ſi ipſa voluntas deeſt nobis, non vti-
» que volumus. Quod ſi fieri non poteſt, vt dum
» volumus non velimus, adeſt vtique voluntas
» volentibus, nec aliud eſt quidquam in pote-
» ſtate, niſi quod volentibus adeſt voluntas: Igi-
» tur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in no-
» ſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, *li-*

Digitized by Google

„ bera eſt nobis. Ex quibus hæc conſtant, voluntatem liberam eſſe in poteſtate hominis, neceſſitatemque opponi libertati, quia non voluntate viuimus, aut morimur; voluntate autem volumus, nec niſi voluntate volumus. Conſtat etiam ex hoc textu quædam eſſe neceſſaria, quæ tamen libera: Verbi gratia, omnes tendunt in bonum neceſſariò & liberè, ſed cum agitur de voluntate liberi arbitrij, nemo neceſſariò vult, quia ſi neceſſariò, non liberè. Neceſſarium enim libero ſemper opponitur, cum agitur de libero arbitrio. Quod etiam inuitus probat Ianſenius auctoritate Sancti Auguſtini, lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. cum dicit præſcientiam Dei nobis non adimere voluntatem. Aque etiam ex eodem Sancto Auguſtino *libro 2. de actis cum Fœ-*
„ *lice cap. 5.* Vides, inquit, in his verbis confirma-
„ tum eſſe etiam à neſciente quod loqueretur
„ liberum arbitrium. Qui enim ſeruare legem
„ nó vult, in poteſtate eius eſt, ſi velit; Non enim
„ dixit non potuerũt, ſed noluerunt. Quod etiam
„ repetit ex libro 1. Retractationum, iam ab
„ eo citato, in poteſtate hominis mutare voluntatem: Eandemque doctrinam tradere Sanctum Anſelmum, cuius verba tranſcribere operæ-pretium eſſe iudico, quia maximè Ianſenio aduer-
„ ſantur. Omnis poteſtas, inquit, ſequitur volun-
„ tatem: cum enim dico poſſum loqui vel am-
„ bulare, ſubauditur ſi volo; ſi enim non ſubin-

Lib. 2. c. 10. Cur Deus homo.

Digitized by Google

„ volumus eſt, ſi nolumus non eſt; non enim „ vellemus ſi nollemus: Cuius textus gratias agimus Ianſenio, quod illum nobis protulerit ad refutandum ea, quæ probare nititur capite 6. ſequenti.

Refutatio Cap. 6.

IN quo tanquam verus Caluini diſcipulus eiuſque defenſor, vult probare duplicem apud Auguſtinum eſſe neceſſitatem: vnam coactionis, alteram ſimplicem ſeu voluntariam; coactionem autem repugnare libertati, non autem ſimplicem neceſſitatem. Quod quàm ſit abſurdum, textus à Ianſenio prolati ad confirmandam ſuam ſententiam, ſatis illam declarando iugulabunt. Primò producit textum S. Auguſtini, ex libro 2. de Geneſi, cap. vltimo, vbi ſic ait Sanctus Auguſtinus: Deus omnia bona facit voluntate, nihil mali patitur neceſſitate, cuius enim volũtas ſuperat omnia, nulla ex parte quidquam ſentit inuitus; quod nemo negat, & ad id quod probare conatur Ianſenius, nihil operatur, nec textus ſequens ex Pſalmo 103. Item ex libro 29. contra Fauſtum in fine. Item ex tractatu 3. in Ioannem. Item ex libro de Fide contra Manicheum, capite 26. Item ex capite 28. cuius hæc ſunt verba: Nullam ergo neceſſitatem patitur Deus, neque neceſſitate facit quæ facit, ſed ſumma & ineffabili voluntate & poteſtate. Item ex

Digitized by Google

libro 26. contra Fauſtum, vbi etiam idem dicitur. Item ex libro 83. quæſtione 80. in fine; vnde concludit Auguſtinum ſemper opponere neceſſitatem voluntati, vt ea ſit neceſſitas, qua fit aliquid & ſi nolis, vt de vita, morte, ſomno, eſurie, ſiti, & ſimilibus; quod vltrò concedimus, atque etiam quod ſequitur Auguſtinum huiuſmodi neceſſitatem vocare dominantem, prementem, pondus: ſic in libris de libero arbitrio lib. 3. cap. 10. vbi natura neceſſitaſque dominatur. Item ex libro 83. Quæſtionum, quæſt. 80. Nec dicere audemus Deum non voluntatem, ſed neceſſitatem habere iuſtitiæ, quia non poteſt velle peccare. Vnde inquit Ianſenius Auguſtinus addit, nec illa nos terret inanis atque inepta calumnia, qua inuidioſè reſiſtentes aiunt, ergo ſub neceſſitate poſitus fuit Chriſtus, vnde mox ſubiungit, Sicut ergo neceſſitatis nomine, nec nos nec illos quiſquam auellet à fide veriſſimæ paſſionis, &c. ſic & nos ipſo nomine neceſſitatis nemo deterret à fide veriſſimæ affectionis lib. 4. de fide cap. 4. cui ſubiungit textum Ambroſij aduerſus Arianos, qui negabant Deum Patrem Filium ſuum tam ex neceſſitate, quàm ex voluntate generaſſe; Sicut inquit, bonus Pater non ex voluntate aut neceſſitate, ſed ſuper vtrumque, hoc eſt natura, ita non generat ex voluntate aut neceſſitate Pater; Cui addit Epiphanium in Anchorato & hæreſi 69. *Neque volens genuit, neque*

Digitized by Google

que volens, ſed in natura, quæ conſilio ſuperior eſt; Item ex Auguſtino lib. 6. cap. 2.

Quæ omnia cum Ianſenio noceant, & nobis proſint, facilè obmittimus, vt etiam quod addit *ex Auguſtino lib. 3. de libero arbitrio cap. 1.* Nulla culpa, inquit, vbi natura neceſſitaſque dominatur, *& lib. 3.* Diſſimilis, inquit, eſt motus animi & lapidis, quod in poteſtate non habet lapis cohibere motum quo fertur inferius, animi verò dum non vult, non ita mouetur; & ideo lapidi naturalis eſt ille motus, animæ verò voluntarius. Quæ cum ſibi magnopere aduerſantia cernat Ianſenius, inſinuat Auguſtinum non audere vocare neceſſitatem determinationem illam, qua voluntas fertur ad vnam partem; quare verò non audeat, ipſe non audet dicere: & certè non dicit, Nunquam enim intellexit nec docuit voluntatem poſſe determinari ad vnum, niſi coactè & neceſſariò: quæ tamen eſt doctrina Ianſenij, & quam Auguſtino vult imponere, dicendo, *Nunquam Auguſtinum docuiſſe neceßitatem capitaliter repugnare libertati, quando ſcilicet ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate, hancque ſententiam miram videri ſcholaſticis, licet tamen indubitatam in Auguſtini principijs; iuxta quam inquit liberum arbitrium non eſt aliud, quàm habere actum in ſua poteſtate, & in poteſtate habere, quam fieri quando volumus.* In quo eloquio Ianſenius tantum pec- Ianſenij verba.

Digitized by Google

cat in obmittendo, deberet enim addere, Et non fieri quando nolumus, & ſic ceſſaret omnis controuerſia. Sed ille vult nos ita neceſſitari, non audeo dicere cogi, ad amplectendam gratiam, vt illam non poſſimus non amplecti, quod dicit perfectiſſime demonſtrari ex Auguſtino, *lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 10.* Quem locum ſe ideò integrum producere dicit, vt liquidius pateat quid ſibi velit, & ego libens tranſcribo, vt cuilibet pateat Ianſenium aduerſum ſe edere: » verba Auguſtini hæc ſunt. Vnde nec illa ne- » ceſſitas formidanda eſt, quam formidando » Stoici laborauerunt, cauſas rerum ita di- » ſtinguere, vt quoſdam ſubtraherent neceſſi- » tati, quaſdam ſubderent: Itaque in his » quas eſſe ſub neceſſitate noluerunt, poſuerunt » etiam noſtras voluntates, ne videlicet non eſ- » ſent liberæ, ſi ſubderentur neceſſitati. Si enim » neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt » in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus, effi- » cit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis, » Manifeſtum eſt volũtates noſtras, quibus rectè » vel perperam viuimus, ſub tali neceſſitate non » eſſe. Nam ſi volumus, eſt, ſi nolumus non eſt, » non enim vellemus, ſi nollemus: Si autem ita » definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam dici- » mus, neceſſe eſt vt ita ſit aliquîd, vel ita fiat, » Neſcio cur eam timeamus, ne nobis auferat li- » bertatem voluntatis, neque enim & vitam Dei

Digitized by Google

» & præſcientiam Dei ſub neceſſitate ponimus,
» ſi dicamus neceſſe eſt Deum ſemper viuere, &
» cuncta præſcire : ſicut nec poteſtas eius minui-
» tur, cum dicitur mori fallique non poſſe; ſic
» enim hoc non poteſt, vt potius, ſi poſſet, mino-
» ris eſſet vtique poteſtatis: rectè quippè omni-
» potens dicitur, qui tamen mori & falli non po-
» teſt; Dicitur enim omnipotens faciendo quod
» vult, non patiendo quod non vult; quod ſi ei
» accideret, nequaquam eſſet omnipotens; Vn-
» de propterea quædam non poteſt, quia omni-
» potens eſt, ſed etiam cum dicimus neceſſe eſt
» vt cum volumus, libero velimus arbitrio, & ve-
» rum proculdubio dicimus, & non ideo libe-
» rum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adi-
» mit libertatem. Sunt igitur noſtræ voluntates,
» & ipſæ faciunt quidquid volendo facimus,
» quod non fieret, ſi nollemus. Vnde Ianſenius Ianſ. verba.
duplicem concludit neceſſitatem, vnam, quæ non relinquit actum in noſtra poteſtate; alteram, qua ſimpliciter aliquid eſt neceſſe fieri, ſicut viuere, præſcire, non mori, non falli reſpectu Dei, illam repugnare docet libertati, iſtam minimè. Repugnãtiam autem illam oſtendi; *ex eo quod ſequeretur hoc velle ſimul & nolle, cum neceßitas illa talis ſit, quæ nolente voluntate perficit effectum ſuum, quando vult autem non renitatur, apertißimè* inquit, *ſequitur nos ſimul velle & nolle, ſi voluntas ſeu velle ſub tali neceßitate ponere-*

Digitized by Google

tur, qua de cauſa de illa neceßitate loquens ſemper vtitur verbis ſubijciendi neceßitati, eſſe ſub neceßitate videlicet dominante, præmente voluntatem, ſubmota autem hac neceßitate nullam aliam timet libertati voluntatis, quamuis dicatur eſſe neceſſarium vt velimus, vbi de neceßitate determinationis ad vnum eum in primis loqui ex multis manifeſtè liquet.

Quæ ratiocinatio Ianſenij abſurda & falſiſſima non poteſt erui ex verbis Sancti Auguſtini ſupra tranſcriptis: Et certè mirum eſſet, ſi vnquam Auguſtinus docuiſſet gratiam determinare liberum arbitrium ad vnum. Sed vt ſigillatim textus Auguſtini examinetur, videbitur primum illum explodere & refellere neceſſitatem fatalem Stoicorum, & rationem illorum irridere, quod voluntates à neceſſitate excluderent, ne non eſſent liberæ: & dicit neceſſitatem illam, quæ non eſt in noſtra poteſtate, & quæ efficit quod nolumus, non perimere noſtram libertatem, & affert exemplum de morte, quam neceſſe eſt homines ſubire; voluntates autem noſtras non eſſe poſitas ſub tali neceſſitate, ſed voluntatem noſtram hanc eſſe, qua ſi quid volumus, eſt, ſi nolumus, non eſt, non enim vellemus ſi nollemus. Si autem neceſſitas ita deffiniatur, vt neceſſe ſit aliquid fieri vel non fieri, non eſſe timendum ne hoc nobis auferat libertatem: libertas enim non cadit ſub rebus quæ neceſſariò fiunt, licet liberè; multa enim

Digitized by Google

ſunt neceſſaria quæ tamen libera, vt homo neceſſariò eſt rationabilis & riſibilis, & tamen liber quoad ſuum arbitrium: & multa ſunt neceſſaria, quæ tamen ſub neceſſitate non ponẽda ſicut vita & præſcientia Dei: Sic poſſemus dicere, neceſſe Deum ſemper viuere, ſic etiam eius poteſtas non minuitur, cum dicitur mori fallique non poſſe, ſic enim hoc non poteſt, vt potius ſi poſſet minoris vtique eſſet poteſtatis, & cætera quæ addit Auguſtinus. Sic etiam cum dicimus neceſſe eſt, vt cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum proculdubio dicimus, & non ideo liberum arbitrium neceſſitati ſubijcimus, quæ adimit liberum arbitrium. Deinde concludens totam ſuam ratiocinationem ſic decernit; ſunt igitur noſtræ voluntates, & ipſæ faciunt quidquid volendo facimus, quod non fieret ſi nollemus; vnde clarius ſole apparet Sanctum Auguſtinum nullam ſtatuere determinationem ad vnum, cum clarè demonſtret libertatem ad vtrumlibet, ad facere, ad velle aut nolle, & ſic euaneſcunt omnia Ianſenij ſophiſmata, qui per multas ambages vult probare album eſſe nigrum, & nigrum album, & habere Sanctum Auguſtinum ſuæ abſurditatis patronum, à qua tam longè ſemper abſuit, vt nullum verbum de determinatione voluntatis ad vnum in omnibus operibus ſuis reperiri poſſit: nec tamen deſinit Ianſenius in ſequentibus concludere. *Conſenta-* Verba Ianſ.

Digitized by Google

neum eſſe omnem omninò voluntatem quãtumcumque ad vnam determinatam, nulla tali neceßitate, qua dicitur neceſſe eſt vt velit, deſinere eſſe liberam, quia non deſinit eſſe voluntas, quæ non eſſet ſi nollemus. Quod quàm ſit abſurdum nemo nonvidet, quia ſi voluntas ita eſt determinata ad vnum, vt poſſit dici, neceſſe eſt vt velit, certè non amplius erit libera, etſi non deſinat eſſe voluntas; quia ſi neceſſe eſt vt velit, certè non amplius erit in eius poteſtate vt nolit, quod tamen licet abſurdiſſimum; hac etiam ratiocinatione tueri conatur; *Sicut enim, inquit, omnis voluntas neceſſariò eſt voluntas, ita iuxta hoc principium etiam liberi arbitrij: neque enim quemquam eo abſurditatis erupturum arbitror, vt qui ad vnum volendum determinatus eſt, non velle ſuſpicetur, cum ardenter, tenaciter, conſtanter velle, & ita velle aliquid, vt contrarium eius velle non poßit, ſic maximè velle, & idcirco maximè in poteſtate & maximè liberum.* Quod certè eſt abſurdiſſimum: Nemo enim negat eum, qui ad aliquid velle determinatus eſt, & ita obſtinate, vt contrarium nunquam velit, maxime velle, quin etiam hoc modo maximè liberum; Dummodo hæc determinatio non procedat aliunde quàm à ſe, & à ſuo libero arbitrio. Sed ſi ab alio agente ita determinetur ad vnum, vt contrarium velle non poſſit, certè voluntas non eſt amplius libera: ex quo patet quàm etiam abſurdè Ianſenius addat ſequentia,

Nam ſicut, inquit, *libertas eſſe non poteſt ſine voluntate, ita nec voluntas vlla ſine arbitrij libertate, iuxta id quod Auguſtinus ipſe concludendo ſubiungit, neceſſe eſt vt cum volumus, libero velimus arbitrio.* Quod aduerſus eum retorqueo: quia ſi neceſſe eſt, vt cum volumus, libero velimus arbitrio, certè neceſſe eſt vt ab alio agente voluntas non determinetur ad vnum; quia ſi eſt determinata ad vnum, iam amplius non poteſt eligere, & proinde nec libera. Suam tamen abſurditatem iterum conatur probare Ianſenius ex S. Thoma quæſt. 22. de veritate, quæ eſt de appetitu boni, & refert verba S. Thomæ, quæ tamen in loco ab eo citato non reperiuntur, cuius tamen verba illi vltrò concedimus; nec enim magis faciunt ad ſuam intentionem, quàm ea, quæ ſupra retulit ex S. Auguſtino hæc autem ſunt verba S. Thomæ vt illa refert Ianſenius.

Dicendum quod ſi quid poteſt accipi ex verbis S. Auguſtini de Ciuitate Dei, duplex eſt neceßitas, neceßitas ſcilicet coactionis, & hæc in volentem nullo modo cadere poteſt: & neceßitas naturalis inclinationis, ſicut dicimus Deum de neceßitate viuere. Et paulò poſt, *Si illa definitur eſſe neceßitas, ſecundum quam dicimus, neceſſe eſt vt ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus.* Sic reſpondet S. Tho. *Ad quartum dicendum, quod Auguſtin. loquitur de neceßitate naturali, quam à voluntate non excludimus, reſpectu aliquorum, & hæc neceßitas in diuina voluntate in-*

Digitized by Google

uenitur, ſiue in diuino eſſe. Et paulò poſt reſpondet, *quod authoritas illa eſt intelligenda de neceßitate coactionis, quæ repugnat voluntati, non autem de neceßitate naturalis conditionis, quæ ſecundum Auguſtinum in quinto de Ciuitate Dei, voluntati non repugnat.* Et mox: *Ad tertium dicendum quod libertas ſecundum Auguſtinum opponitur neceßitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Deinde addit ex quæſt. 10. de Potentia art. 2. ad 5. qui etiam locus apud S. Thomam loco citato non reperitur, eius autem hæc ſunt verba. *Ad quintum inquit dicendum quod naturalis neceßitas, ſecundum quod voluntas aliquid ex neceßitate velle dicitur, vt fælicitatem libertati voluntati non repugnat, vt Auguſtinus docet in 5. de Ciuitate Dei; libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur.* Quibus locis non mihi magis eſt difficile reſpondere, quàm fuit tranſcribere. Dico enim primùm, quando dicitur neceſſarium opponi voluntario, ſemper hoc intelligendum eſſe de neceſſitate coactionis, aut ſuaſionis, quæ ab alio tanquam à cauſa extrinſeca infertur. Libertatem enim naturalem, nempe moriendi, videndi, edendi, bibendi, &c. non impedire libertatem voluntatis quis negat? ſed agitur de ea neceſſitate, quæ poteſt auferre libertatem voluntatis, & poteſtatem eligendi, amplectendi, vel recuſandi, quod certè determinatio ad vnum operatur: ad quid enim diſcurſus mentis, ſi eligere vel negligere debeat, quod illi non amplius

ſit

Digitized by Google

ſit liberum, & hoc vnum verbum ſatisfacit locis & inductionibus ex S. Auguſtino & Thoma. Nam quod vrget Ianſenius de neceſſitate, quæ eſt in diuinitate, & quæ tamen libera remanet, dicimus duo in Deo conſideranda; ea, quæ ſunt ad intra, & ea, quæ ſunt ad extra. Ea, quæ ſunt ad intra, ſunt neceſſaria ſimul & libera; quæ ad extra, ſimpliciter libera, quia quæcumque vult, facit. Quod addit de hominibus, quod de neceſſitate quædam volunt, vt fœlicitatem, libenter concedimus: naturaliter enim & neceſſariò homines tendunt in bonum, nec vnquam decipiuntur, niſi ſpecie recti; ſed vt noſtra ſententia ab omnibus approbetur, nos illam non locis malè citatis, truncis & conſutis, & ad noſtram ſententiam detortis & accommodatis, ſed authoritatibus claris, & quæ à nemine repudiari aut interpretari poterunt, probabimus; Primò ex ex S. Thoma prima ſecundæ quæſt. 10. art. 4. vbi quærit S. Thomas vtrum voluntas moueatur de neceſſitate, ab exteriore motiuo quod eſt Deus, ideſt à gratia: & poſt propoſita in contrariam partem argumenta concludit, Deum non mouere ex neceſſitate voluntatem, quod probat ex 15. Eccleſiaſtici: Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui; & reſpondet, dicendum, quod ſicut Dionyſius dicit 4. cap. de Diuinis nominibus, ad prouidentiam diuinam non pertinet, naturam rerum corrum-

Digitized by Google

pere, ſed ſeruare, vnde omnia mouet ſecundùm eorum conditionem, ita quod ex cauſis neceſſariis,per motionem diuinam conſequuntur effectus ex neceſſitate: ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, (Nota) ſed indifferenter ſe habens ad multa: Sic Deus ipſum mouet, quod non ex neceſſitate ad vnum determinat, (Nota) ſed remanet motus eius contingens & non neceſſarius, (Nota) niſi in his,ad quæ naturaliter mouetur. Poſtea S. Thomas ſic reſpondet ad primum argumentum, Dicendum quod voluntas diuina non ſolum ſe extendit, vt aliquid fiat per rem, quam mouet,ſed vt etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipſius, & ideo magis repugnaret diuinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moueretur, quod ſuæ naturæ non competit,quàm moueretur liberè provt competit ſuæ naturæ.

Sancto Thomæ addo S. Auguſtinum copulantem coactionem cum neceſſitate. Qui cogitur (inquit) neceſſitate aliquid facere, non peccat: qui autem peccat, libero arbitrio peccat; nihil mali fecit,qui nihil ſua voluntate fecit,contra Fortunatum Manich. diſput. tomo 6. Plura poſſem addere loca, in quibus ſemper Auguſtinus neceſſariò opponit liberum, quorum quædam iam allegata; & quædam alibi proferentur.

Digitized by Google

Accedat & S.Hieron. qui ſic loquitur; Hæc vni-
» uerſa dicuntur, vt liberum hominis arbitrium
» monſtraretur: Dei enim vocare eſt,& noſtrum
» credere,nec ſtatim ſi nos non credimus impoſ-
» ſibilis Deus eſt,ſed potentiam ſuam noſtro ar-
» bitrio dereliquit, vt iuſti voluntas præmium
» conſequatur, &c. Commentario in caput 49.
» Iſaiæ, & in caput primum Abdiæ, ſignificatur
» quod anima in meditullio vitiorum atque vir-
» tutum poſita ſit, vt poſſit in vtramque partem
» per horarum momenta conuerti. Vide etiam
ſi vis Tertullianum aduerſus Marc. cap. 6. &
cap. 5. ex quo hæc tibi tranſcribo. Sicut in po-
» ſteris legibus Creatoris inuenias proponentia
» ante hominem bonum aut malum, vitam &
» mortem, ſed nec alias totum ordinem diſci-
» plinæ per præcepta diſpoſitum,auocante Deo,
» & minante exhortanteve,niſi & ad obſequium;
» & ad contemptum libero & voluntario ho-
» mine.

Vide & Cyprianum Epiſtola 55. & libro de vni-
tate Eccleſiæ.

Accedat & Ambroſius libro primo de Iacob,
» & vita beata cap.1. non ſeruili ad obediendum
» conſtringimur neceſſitate, ſed voluntate arbi-
» tra, ſiue ad virtutem propendemus, ſiue ad
» culpam inclinamur: & ideo nos liber affectus
» ad errorem trahit, aut voluntas reuocat ratio-
» ne ſequuta: Et ſermone 11. in Pſal. 118. In nobis

Digitized by Google

„ eſt igitur, vt aut ſubiiciatur aduerſarius, aut
„ reſultet. Reliqua huius capitis nullam merentur ſolutionem. Et ſi qua opus ſit præcedentes accommodari poſſunt, quod enim concludit, *Quod maximè volumus maxime eſſe in poteſtate noſtra, & idcirco maxime in libertate, iuxta inquit deffinitionem Auguſtini.* Huic concluſioni iam reſpondimus hoc eſſe verum, ſi volitio illa à nobis, non ab alio agente, deriuetur.

Refutatio Cap. 5.

IN Capite ſequente 7. Ianſenius idem ſe oſtendere dicit *ex libertate Dei*, idem certè & eodem modo, id eſt abſurdè. Nam vt probet neceſſitatem non impedire libertatem, profert ſanctum Auguſtinum lib. 1. Operis imperfecti contra Iull. fol. 151. & lib. 1. Operis imperfecti contra Iul. fol. 150. docentem Deum eſſe liberum, etſi multa ex neceſſitate facit his verbis, *Non eſt ergo liber Dominus, de quo dictum eſt, negare ſeipſum non poteſt, & de quo etiam dixiſti, Deus eſſe niſi iuſtus non poteſt: & alio in loco eiuſdem operis, liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, ideſt bonum & malum, liber ergo Deus non eſt, de quo etiam ipſe dixiſti, Deus eſſe niſi iuſtus non poteſt, ſiccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem. Deinde*, Ianſenius addit de ſuo. *Subiiciendo* (*ſcilicet neceſſitati boni*) an potius intelligere debes, *Quandam beatam neceſſitatem, qua Deus iniuſtus non poteſt eſſe*: Cui reſpondeo

non eſſe parem rationem neceſſitatis in Deo, & in hominum libero arbitrio, quia neceſſitas, quæ eſt in Deo, à ſe ipſo, non ab agente externo procedit: in hominum autem libero arbitrio, neceſſitatem illam, dequa agitur, à gratia ideſt Deo procedere Ianſenius docet, quæ quidem cum ſit agens potentiſſimum, infert neceſſitatem voluntati hominum, illam vt vult Ianſenius, determinãdo ad vnum, & proinde voluntas ſic non remaneret libera ad vtrumlibet, quod eſt de natura liberi arbitrij, quod proinde deſtrueretur.

Secundò reſpondeo, Deum quædam velle neceſſariò, nempe ea, quæ ſunt propria ſui obiecti, nempè bonitatem ſuam, quemadmodum voluntas noſtra vult beatitudinem, ſicut alia quælibet potentia neceſſariam habet habitudinem ad proprium & principale obiectum, vt viſus ad colorem, quia de ſui ratione eſt, vt in illud tendat; Cætera autem quæ vult, non neceſſariò, ſed liberè vult, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Quod autem fit ex conſilio voluntatis, non ex neceſſitate, ſed liberè fit, vnde ſequitur Deum, etſi quædam ex neceſſitate velit, tamen alia velle libero voluntatis arbitrio, vt loquitur Sanctus Ambroſius lib. 2. de fide cap. 3. Spiritus enim Sanctus diuidit ſingulis provt vult: ſic etiam homines liberum habent arbitrium reſpectu eorum, quæ non neceſ-

ſariò volunt vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus eſſe fœlices, ſed ad naturalem inſtinctum. Quæ ſequuntur in hoc capite nulla alia reſponſione indigent.

Refutatio Cap. 8.

In Capite ſequenti 8. idem ſe probare dicit ex libertate Beatorum hominum & Angelorum, qui quidem, inquit: *Etſi peccare amplius non poßint, tamen libero non carebunt arbitrio, imo liberius erit, quia non amplius poterunt ſeruire peccato, quod multis Auguſtini locis probat:* Quibus certè opus non erat, nec enim Deum, Angelos & beatos homines libero carere dicimus arbitrio; Et ſi peccare non poſſint, nec de eo apud nos eſt controuerſia. Quod verò ex eo concludit, *Cum Deus, Angeli, & beati homines ſint determinati ad bonum, nec vnquam poßint deflectere ad malum, & ſint tamen liberi arbitrij, etiam homines cum à gratia determinantur ad bonum, non eſſe minus liberi arbitrij, imo liberioris.* Negamus hoc ſequi de Deo: iam rationem reddemus de Angelis. Sanctus Auguſtinus pro nobis reddet, *lib. 11. ſuper Geneſim ad literam Cap. 7.* quod illa natura, quæ peccare non poteſt, in ſanctis Angelis eſt; Et S. Thomas *1. parte Quæſt. 61. art. 1. in concluſione ſic*
» reſpondet. Dicendum quod Angeli beati pec-
» care non poſſunt; cuius ratio eſt, quia eorum

Digitized by Google

„ beatitudo in hoc conſiſtit,quod per eſſentiam
„ Deum vident: eſſentia autem Dei eſt ipſa
„ eſſentia bonitatis; vnde hoc modo ſe habet
„ Angelus videns Deum ad ipſum, ſicut ſe ha-
„ bet quicumque non videns Deum ad com-
„ munem rationem boni. Impoſſibile eſt autem,
„ quod aliquis quicquam velit,vel operetur, niſi
„ attendens ad bonum, vel quod velit diuer-
„ tere à bono inquantum huiuſmodi. Angelus
„ igitur beatus non poteſt velle, nec agere, niſi
„ attendens ad Deum, ſic autem volens, vel
„ agens, vnde Angelus beatus nullo modo pec-
care poteſt. Quod etiam eademque ratione dici poteſt de beatis hominibus; ſicque textus Auguſtini & Ianſenij inductiones euaneſcunt, nec inde probare poteſt hominem in hac vita remanere liberi arbitrij, cum voluntas determinatur ad vnum. Textus autem à Ianſenio allatos hîc tranſcribere libet, quia ex his contrarium ſuæ ſententiæ conſequitur, ſunt autem huiuſmodi. Sic enim oportebat prius fieri hominem, vt & bene velle poſſet,& malè; nec gratis, ſi bene, nec impunè, ſi malè: poſtea ſic erit vt malè velle non poſſit, nec ideò libero carebit arbitrio, multo quippe liberius erit liberum arbitrium, quod omnino non poterit ſeruire peccato. Vnde concludo contra Ianſenium, hominem in hac vita poſſe bene vel malè velle: poſtea verò id eſt in futura vita non poſſe malè

In Enchiridio, c. 105.

In Enchiridio, c. 105.

Digitized by Google

velle, nempè quia tunc beatus erit, & Deum videbit, vt Angeli. Nec diſſimilis eſt locus ſequens de correctione & gratia cap. 11. poſſet enim (Adam) perſeuerare etiam ſi vellet, quod vt nollet de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, vt bene velle poſſet & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato, quæ futura erat homini, ſicut facta eſt & Angelis Sanctis merces meriti; vbi cuilibet apparet, & ad hoc etiam inducitur à Ianſenio liberius fore liberum arbitrium homini in futuro ſæculo, cum mercedem meriti recipiet vt Angelus; ergo liberum arbitrium hominis non eſt idem; dum eſt in via, cum eo quod ſortietur in patria; Quod addit Ianſenius & paulò poſt; *Prima autem voluntas libertatis erat poſſe non peccare, nouiſſima erit multò maior non poſſe peccare.* Confirmat quidem ſuum intentum, ſed ſimul meam reſponſionem, ibi enim agitur de nouiſſima fœlicitate, quæ eſt futuri ſæculi.

Addit Ianſenius luculentiſſimum, vt inquit, teſtimonium ex libro 22. de Ciuitate Dei cap. vltimo, quod idem demonſtrat, quod ſuperiora loca, cuius hæc ſunt verba: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt, magis quippè erit liberum à delectatione peccandi ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum*

eſt,

eſt, quando primùm creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare, hoc autem nouiſſimum eo potentius erit, quo peccare non poterit; Vbi quilibet poteſt videre Sanctum Auguſtinum hoc intelligere non de arbitrio libero, quod nunc habet, ſed de eo nouiſſimo, quod obtinebit in futuro ſæculo; vnde ex his textibus, etiam inuito Ianſenio, ſequi hominem nunc non habere arbitrium liberum, quo peccare non poſſit, ſed quo peccare & non peccare poſſit. Sic Ianſenius edit contra ſe, & rationes & textus nobis ſuppeditat ad ſuam refutandam ſententiam: cætera, quæ dicit Ianſenius in hoc Capite, eodem modo refelli poſſunt.

Refutatio Cap. 9.

VT & id quod nititur probare capite ſequenti 9. ex libertate Chriſti, cui eadem competit ſolutio, & reſilit argumentum contra Ianſenium. Fatemur enim & credimus Chriſtum habuiſſe liberum arbitrium, ita vt tamen peccare non poſſet; & ex hoc argumentamur contra Ianſenium: Si Chriſtus à regula communi eſt exceptus, ſequitur cæteros homines non habere liberum arbitrium ſimile illi, Chriſtus enim eſt ipſa gratia homines liberans, qui peccatum non nouit, & pro nobis peccatum factus eſt, vt dicit Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 5. v. 21.

Digitized by Google

Refutatio Cap. 10.

CApite ſequenti decimo vult iterum ſuam ſententiam confirmare ex voluntate fruente ſummo bono clare viſo, iuxta, inquit, principia Auguſtini, quod eſt ſemper eandem cantilenam recantare: non enim negamus hoc fore in futuro ſæculo, ſed in iſto, tunc enim homines confirmati erunt in gratia, & hoc vno verbo proſternitur tota Ianſenij ratiocinatio, nam vt obtineat intentum, non opus habet probare multa eſſe neceſſaria, quæ ſunt libera, nec argumentari ex libertate Dei Angelorum, beatorum hominum, Chriſti & fruentium ſummo bono clarè viſo; ſed illi incumbit onus probandi gratiam in hoc ſæculo ita determinare voluntatem, vt neceſſariò accedat aſſenſus hominis, ita vt non ſit illi liberum gratiam Dei recuſare & illam iam ſuſceptam abjicere, & rejicere; Quod certè numquam ex Auguſtino probabit, numquam enim ſic docuit.

Refutatio Cap. 11.

CApite ſequenti vndecimo, dicit Ianſenius ſe idem probare iuxta principia propria Scholaſticorum, quod, vt iam ſæpè diximus non negamus. Nec mirum eſt, ſi hoc ſe dicat probare ex principijs Scholaſticorum, ſemper enim docuerunt & docent multa eſſe neceſſaria, quæ ſimul ſunt libera, quando neceſſitas illa eſt na-

Digitized by Google

turalis, & non procedit aliundè quàm à ſe; neceſſitas autem illa, de qua inter nos agitur, eſt de neceſſitate, quam Ianſenius dicit inferri à gratia voluntati hominum, quæ eſt agens externum; quam neceſſitatem negamus, quia illa neceſſitas eſt coactio, qua coactione, ſiue neceſſitate, Deus vti non vult in libero hominis arbitrio, quia creauit hominem liberum, & reliquit illum in manu conſilij ſui; & non vult deſtruere naturam, ſed cum illa agere ſecundum modum creationis, vt iam probaui ex Sancto Auguſtino & Thoma, & ſic corruit quidquid in hoc Capite dicit Ianſenius; quidquid enim affert ex Sancto Thoma de Angelis, ſiue bonis, ſiue malis, illi vltrò conceditur: quod verò addit ex Sancto Thoma quæſt. 24. art. 10. ad 3. & ſi apud S. Thomam non reperiatur loco citato, quia illi officit, tantum abeſt vt proficiat, hîc tranſcribo; Dicendum, inquit, quod per ſe cauſa peccati voluntas eſt, & per ipſam peccatum conſeruatur, quæ quamuis à principio ad vtrumque ſe haberet æqualiter (nota) tamen poſtquam ſe peccato ſubiecit, efficitur ei peccatum quaſi naturale, & ex hoc ei immutabiliter, quantum eſt de ſe, manet in illo: Vnde apparet cuilibet Sanctum Thomam docere libertatem hominis ſe habere ad vtrumlibet æqualiter, & in ſequentibus Ianſenius ſe ipſum ſuo gladio iugulat, ſic enim loquitur; *Rurſum iſtud certum eſt, beatos homines &*

in primis Angelos indifferenti voluntate Deo cohæſiſſe: Vnde ſic arguo, ſi indifferenti voluntate, ergo non determinata ad vnum: poſtea Ianſenius ſic perſequitur, *& in illa ipſa cohæſione, hoc eſt illius primæ voluntatis electione ſtabiles permanere, ſtabilitatem illam præſtante Dei gratia, quam natura non poterat.* Qua ratiocinatione ſatis ille ipſe indicat, quod dicit intelligendum de Angelis & hominibus, qui ſunt confirmati in gratia, quod nemo negat: & confirmat textus ſequens ex Sancto Auguſtino lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *Meliorem eſſe creaturam, quæ quamuis habeat liberam voluntatem, Deo tamen ſemper infixa numquam peccauerit.* Ex quibus verbis clarè liquet, hominem habere liberam voluntatem, ſcilicet peccandi, & non peccandi, & meliorem eſſe eam, quæ non peccauerit.

Addit etiam Ianſenius & paulò poſt; *ſi te delectat creatura, quæ perſeuerantiſſima voluntate non peccat, ſupple quod peccare non poſſit:* Quod ſatis probat liberum arbitrium ad vtrumlibet. Quod iterum addit Ianſenius ex eodem Auguſtino ſiue de hominibus, ſiue de Angelis, intelligendum eſt de his, qui iam confirmati ſunt in gratia, quibus antea dederat poteſtatem, vtrum vellent, quod dicit Auguſtinus, & omiſit Ianſenius, qui addit locum ex Auguſtino, *libro 3. contra Maximinum cap. 12.* qui illi valde aduerſatur, cuius hæc ſunt verba; *Cuicumque creaturæ*

Digitized by Google

rationali præſtatur, vt peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ: Quod eſt certiſſimum, dummodo illa creatura rationalis contra Dei gratiam non reluctetur, illam amplectatur, illam non reijciat, qua illi datur non peccare: qui enim non peccant peccare poſſunt, quia naturæ eorum proprium eſt, & ex eorum libero arbitrio pendet peccare, aut non peccare; & qui non peccant & bene eligunt, à Dei gratia amplexa conſequuntur.

Refutatio Cap. 12.

CAp. 12. Ianſenius dicit multos ante Sanctum Auguſtinũ, & ipſo viuente, indicaſſe eandem diſtinctionem, nempe de coactione & neceſſitate; videlicet Dionyſium Areopagitam, Clementem, Ireneum, Tertullianum, Origenem Hilarium, Epiphanium, Macarium, Baſilium Seleucienſem, Chryſoſtomum, Cyrillum, quos omnes ex ordine, quo profert Ianſenius, in illum retorquebimus. Primùm profert Dionyſium Areopagitam dicentem, *Nobis vitam non eſſe datam, ſi vel neceſſitate coacta*; Quæ cum ſit ſimplex enuntiatio, fruſtra de illa aliquid concludere nititur Ianſenius, quod libero hominis rabitrio officiat.

Sed ego ex eo quod ſequitur in Dionyſio quod omiſit Ianſenius, contendo aſtrui liberum arbitrium, ex his verbis: Neque liberi arbitrij gra-

„ tia diuinitus data mortalibus prouidentiæ di-
„ uinæ luce & ſplendore obtunditur : vbi ap-
„ paret vnicuique gratiam Dei ſua luce, & ſuo ſplendore non obtundere liberam hominis voluntatem. Conſequenter etiam Clementem Papam ſibi aduerſantem producit in epiſtola 3. *Iam vis*, inquit, *erat quædam naturæ, per quam liberum non eſſet ad aliam migrare ſententiam, aut ſi rurſus ex audientibus, nullus omnino reciperet; & hoc naturæ vis erat, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum :* Vbi non obſtante Ianſenij diſtinctione inter coactionem & neceſſitatem, Clemens Papa vim vocat illam neceſſitatem, quæ impedit liberum arbitrium ad aliam migrare ſententiam; & vim naturæ vocat, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum; vnde clare ſequitur neceſſitatem illam, quæ cogit liberum arbitrium ſibi obſequi, & determinat voluntatem ad vnum, eſſe vim & neceſſitatem cogentem. Cui Clementis loco addo alium ex libro 3. Recognitionum, vbi poſt multas diſputationes Simonis cum Sancto Petro, ſic Sanctus Petrus definit liberum arbi-
„ trium; Arbitrij poteſtas eſt ſenſus animæ ha-
„ bens virtutem, qua poſſit ad quos velit actus inclinari. Ecce tibi ſtatutam indifferentiam libertatis & ſublatam ad vnum determinationem.

Nec meliori titulo & magis ſibi propitio, profert Ireneum lib. 4. cap. 71. his verbis: *Libe-*

Digitized by Google

rum eum, inquit, *ſicut & ſuam animam ad vtendum ſententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo; vis enim à Deo non fit.* Vnde vult colligere, Et ſi à Deo vis non fit, tamen à Deo neceſſitatem imponi, quod certè ſententiæ Irenei repugnat. Cum enim dicit vim à Deo non inferri, ſimul neceſſitatem excludit, quod etiam liquet ex verbis ſequentibus apud Ireneum à Ianſenio » omiſſis, ſed bona ſententia, inquit, adeſt illi » ſemper, & propter hoc conſilium quidem bo- » num dat omnibus, poſuit autem in homine » poteſtatem electionis; Vbi appertè declarat Ireneus, Etſi Deus det bonum conſilium, ideſt præueniat homines gratia, tamen in poteſtate hominis ſemper remanet facultas eligendi, id eſt amplectendæ, vel recipiendæ gratiæ.

Opportunè etiam Tertullianum contra ſe nobis producit, cuius hæc ſunt verba: *Homo ſpontè, voluntariè, voluntate, non neceſſitate agit*, quod libenter ſuſcipimus tanquam contrarium Ianſenij ſententiæ, vt & quod addit: *Si caperet hoc iure, & bonum quoque non voluntate obiret, ſed neceſſitate.*

Et iterum addit, *Libertatem arbitrij in vtramque partem conceſſam, vt bono ſpontè ſeruando, & malo ſponte vitando, ſui Dominus conſtanter occurreret.* Item, *nec boni nec mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inuentus, non voluntate*: Vbi Lector notare po-

Digitized by Google

teſt omnia noſtræ ſententiæ fauere, & Ianſenij ſententiam iugulare; Ibi enim dicitur hominem agere ſponte, voluntariè, voluntate, non neceſſitate, & capere bonum voluntate non neceſſitate, atque etiam libertatem arbitrij in vtramque partem conceſſam, hominemque ſui dominum eſſe, nec illi mercedem penſandam, ſi bonus aut malus neceſſitate eſſet, non voluntate. Cui loco opponit illud, *Antiquis non eſſe aliud, & niſi vim coactionem*; Addo ego, ſi antiquis etiam Neotericis, & omnibus, quia neceſſitas, quæ infertur ab alio agente externo eſt vis, & coactio; vnde ſupra oſtendimus Sanctum Auguſtinum copulare neceſſitatem cum coactione, & dicere liberum arbitrium hominis nulla neceſſitate cogi poſſe. Addo etiam Tertullianum, in eodem loco dicere: Hominem eſſe famulum & bono, ſicut malo; Item in vtrumque exitum libertatem arbitrij patere.

Poſt Tertullianum dicit ſe proferre Hilarium ſcriptorem Latinum, credens, vt arbitror, Tertullianum fuiſſe Græcum, qui, vt inquit, neceſſitatem contrariam arbitrij libertati, per vim & coactionem exponit, nos verò dicimus Hilarium oppugnare determinationem ad vnum; Cuius Hilarij hæc ſunt verba; *Nam vnicuique noſtrum libertatem vitæ ſenſuſque permiſit, non neceſſitatem in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malumve lex cogeret*, quaſi

vero

verò iſtud verbum cogeret ſuam ſententiam multum iuuaret: Itaque Ianſenius vult liberum arbitrium non cogi ad obſequium gratiæ, ſed neceſſitari, & determinari ad vnum, quod apertè negat Hilarius docens neceſſitatem, non affigere, aut neceſſitare voluntatem in vnam partem. *Et clarius*, paulo poſt, *quid autem honoris ac præmij bonitatis neceſsitas mereretur, cum malos nos eſſe vis quædam concerta non ſineret, & iterum, vt eſſet nobis æternæ huius beatitudinis profectus, & vſus ex merito non neceſsitas indiſcreta per legem*; Quæ ego aduerſus Ianſenium retorqueo; ibi enim non tantum vim, ſed & neceſſitatem excludit. Atque vt appareat mens Hilarij, addo ex eo alium locum, libro 1. de Trinit. vbi ſic loqui-
» tur: Eſſe filios Dei, eſt opus voluntatis, non
» neceſſitatis.

Poſt Hilarium producit Origenem eadem dicentem his verbis: *Vnde conſequens eſt intelligere non nos neceſsitati eſſe ſubiectos, vt omnimodo, & ſi nolimus, vel bona, vel mala agere cogamur*, Et poſt quaſi triumphans addit, Quid manifeſtius? Ego vero vice verſa quid manifeſtius exclamo? Nonne Origenes dicit nos non neceſſitati eſſe ſubiectos? Et proinde vnde apparet determinatio illa voluntatis, ſi nulli neceſſitati ſubiecti ſimus, ſi nulla neceſsitate cogamur, aut neceſsitemur? ſubjicit tamen adhuc Ianſenius; *Audi tamen id ipſum inculcatius, ſi enim noſtri ar-*

Digitized by Google

bitrij ſumus, inſtigare fortaſſè poſſunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad ſalutem, non tamen neceſſitate cogimur velle agere rectè, vel malè. Et poſt pauca ſubiicit ad Epiſt. ad Rom. *Quia ſpontè fit, nam ipſi nos exhibemus nullo cogente, vel peccato ſeruire, vel iuſtitiæ per obedientiam noſtram.* Conſideret Lector, quid fortius contra ſe edere poſſit Ianſenius, vt deſtruat ſuam diſtinctionem inter coactionem & neceſſitatem, cum videat hîc neceſſitatem cum actione confundi: & quid intereſt coactione, vel neceſſitate determinari ad vnum, ſi idem operatur neceſſitas quod coactio, ſi enim neceſſitas impedit effectum libertatis, ita vt neceſſariò in vnam partem feratur, numquid tollitur electio? Et ſi gratia Dei nos neceſſariò moueat, quomodo erit in libertate hominis illam rejicere vel amplecti? Vnde Patres illi ſpurij Drodectani in ſua Pſeufelo Synodo nouum nomen excogitarunt, vt ſuam ſententiam clarius explicarent, dicentes, gratiam Dei eſſe reſiſtibilem, & ſi quis clarius quid ſenſerit Origenes de hac quæſtione, & an voluntas hominis determinetur ad vnum, ſcire velit, adeat illum in Epiſt. ad Romanos, cap. 7. » libro 6. & illi dicet, Vnumquemque in manu » ſua habere, & in arbitrij poteſtate, vt aut pec- » cati ſeruus ſit, aut iuſtitiæ: ad quamcumque » enim poteſtatem inclinauerit obedientiæ, & cuicunque parere voluerit, hæc ſibi eum vin-

Digitized by Google

dicat ſeruum, in quo vt dixi, abſque vlla cunctatione in nobis eſſe oſtendit, arbitrij libertatem, in nobis namque eſt exhibere obedientiam noſtram, vel iuſtitiæ, vel peccato. Poſt hæc aduertat Lector, ſi ex Origene Ianſenius poſſit colligere ſuam determinationem ad vnum, quoquo modo fiat, ſiue coactione, ſiue neceſſitate.

Poſtea producit Ianſenius Epiphanium remouentem, vt inquit, illam neceſſitatem, velut libertati contrariam, quæ tanquam vis & coactio dominatur, his verbis: δίκην δὲ μᾶλλον τίσουσιν οἱ ἀνάγκην ἐπιθέντες ἀστέρες, ἤπερ ὁ ἀναγκαζόμενος δρᾶσαι τὸ ἐπιχείρημα, *Sane quidem iuſtius ac ſtellis, quæ neceſſitatem pariunt pœne repetantur, quam ab eo qui omnino coactus aggreditur.* Ex quibus verbis Latinis, non Græcis ſuam trahit inductionem, quaſi in illis inueniat ſuam inductionem, quia interpres in poſteriori parte vertit coactus, non neceſſitatus, ſed ſi Græco immoretur, inueniet ſuam diſtinctionem euaneſcere: quia ſi Græca locutio ad verbum reddatur, & explicetur, ſola ibi neceſſitas inuenietur, & non coactio, in verbis Græcis ἀνάγκη & ἀναγκαζόμενος, quæ melius exponi poſſunt, per neceſſitatem & neceſſitatum. Sed mirum eſt Ianſenium, vt ſuam falſam ſententiam ſtatuat, tam peregrinos locos perquirere, cum tam multi pateant, qui eam iugulent. Vnum tantum ex eodem Epiphanio proferam determi-

Digitized by Google

nationem ad vnum deſtruentem, & indifferentiam ad vtrumlibet ſtatuentem, libro 2. aduerſus hæreſes, tomo 6. fol. 575. impreſsionis Pariſiis, per Michaelem Sonnium, vbi ſic loquitur.
„ Credere enim, aut non credere, in noſtra eſt
„ voluntate poſitum; vbi autem vtrumque iuris
„ voluntatis eſt noſtræ, conſequens eſt, vt &
„ rectè agere, vel peccare, boni aliquid facere,
„ vel mali ſit integrum.

Poſt Epiphanium Macarium producit neſcio qua fronte; Nulla enim refutatione indiget locus, quem producit: Omnia enim Ianſenio aduerſantia dicit, nec enim vno verbo apparet illa diſtinctio coactionis & neceſsitatis, aut determinationis ad vnum, & omnia concurrunt in condemnationem Ianſenianæ ſententiæ, quia videt ex Macario, nihil boni poſſe colligi pro ſua ſententia, dicit illum idem dicere quod Epiphanius. *Hominis naturam, & boni & mali eſſe capacem* ἀλλ' οὐκ ἀναγκαστικὴν, *id eſt, ſed non cogibilem, nam Græci* ἀναγκάζειν, *dicunt quod Latini cogere.* Vnde ex ſua interpretatione magnam ſibi partam victoriam credit, ſed ἀναγκάζειν, ſignificat neceſſitare, & ἀνάγκη ſignificat neceſſitatem, quamquam ſi per coactionem verteretur, non maioris eſſe negotij putarem, ſed tamen Interpres vertit neceſsitati non ſubjici, ſed operæpretium eſt hîc tranſcribere Latinam verſionem, & in margine Græcum textum, ex quo

Digitized by Google

clarius Patebit, quis noſtrum rectius ſentiat, adeſt tibi Latina verſio. Capax igitur eſt natura, tum boni, tum mali, ſiue diuinæ gratiæ, ſiue aduerſariæ poteſtatis, neceſsitati tamen ſubiici nequit. Nec magis illum iuuat textus ſequens ex eodem & ibidem, qui tamen longè ab eo abeſt, cuius tantum partem tranſcribit; Et ego integram hîc volo tranſcribere, eo modo quo ſuperiorem locum, vt ex textu Græco & Latina verſione appareat, quantum Ianſenius abſit à ſuo ſcopo. *Sed habet*, inquit, *liberum arbitrium, vt fiat vas electionis, & vitæ. Similiter è conuerſo qui diuinitate ſunt inebriati, licet pleni ſint ac diuinitatis Spiritu ſancto, non tamen neceßitate vlla teneantur, ſed liberum habent arbitrium, vt conuertantur, & faciant quidquid placuerit in hoc ſæculo.*

Δεκτικὴ ἐν ἡ φύσις τοῦ καλοῦ τε καὶ τοῦ κακοῦ, ἤτοι θείας χάριτος ἤτοι ἐναντίας δυνάμεως, ἀλλὰ οὐκ ἀναγκαστική.

Ἀλλὰ ἔχει τὴν ἐλευθερίαν τοῦ γενέσθαι σκεῦος ἐκλογῆς καὶ ζωῆς· ὁμοίως πάλιν, οἱ μεμεθυσμένοι εἰς τὴν θεότητα καὶ πεπληρωμένοι καὶ δεδεμένοι πνεύματι ἁγίῳ, οὐκ ἀνάγκῃ τινὶ κεκράτηνται, ἀλλ' ἔχουσι τὸ αὐτεξούσιον τοῦ τραπῆναι αὐτοὺς, καὶ ποιεῖν, ὃ θέλωσιν εἰς τὸν αἰῶνα τοῦτον.

Addit etiam Ianſenius nec minus appoſitè; Et alio in loco dicit, *quod Apoſtolos non prohibuit gratia, quominus agerent quod vellent*. Quod aduerſus eum induco. Si enim verum eſt, vt eſt, cum illi gratia diuina agi certum ſit, conſequens eſt gratiam illos non determinaſſe ad vnum, nec proinde alios.

Addit etiam Ianſenius, hæc ſequentia: *Et exponens hoc in eo ſitum eſſe, quia non cogit, declarat ex oppoſito boni malique capax natura, ac poteſtas aduerſaria exhortandi vim habet, non cogendi: in reliquo liberum habet arbitrium inclinandi quo volue-*

Digitized by Google

ris. Homil. 27. quo quidem in loco interpres vtitur verbo cogendi, cum in Græco textu idem verbum ἀιάγκη, reperiatur. Latinam verſionem produxit Ianſenius, ego verò textum Græcum hîc appono. καὶ γὰρ ἡ φύσις ἡμῶν δεκτικὴ καλοῦ τε καὶ κακοῦ ἐστι, καὶ ἡ ἐναντία δύναμις προτρεπτικὴ οὐκ ἀναγκαστικὴ, λοιπὸν σὺ ἔχεις τὸ αὐτεξούσιον, ῥέψαι ὅπου βούλεις.

Addit etiam in alia homilia de Incogibilitate, *In bonum & malum, tanquam libertas arbitrij poſita ſit: exhortari enim poſſunt ambæ facultates tum ad bonum, tum ad malum, non tamen neceſſariò compellere, huic igitur arbitrio diuina detur remuneratio, & in margine ibidem.* Etſi hic dicat in alia Homilia hunc eſſe textum, tamen cum illum inuenire apud Macarium mihi ſit difficile, & Ianſenio noceat, & mihi proficiat, libens admitto.

Dicat nunc Ianſenius, aut quilibet pro eo, an inde probet ſuam differentiam inter coactionem & neceſſitatem, cum hîc de neceſſitate tantum fiat mentio.

Sed nunc ego viciſsim ex Macario probare volo, nullam dari determinationem ad vnum, ſed abſolutè ex libero arbitrio pendere, vt quis gratiam Dei reiicere, vel amplecti poſſit. Vt enim „ inquit idem Macarius, mutabilis eſt natura, „ & ſi velit quis fit Filius Dei, ſin contra, filius „ interitus, eo quod ſuperſit liberum arbitrium, in Homilia 27. in Reſponſione ad interrogationem, Num poterant peccare Apoſtoli, ſi voluiſ-

Digitized by Google

ſent, an vero ipſa voluntate potior erat gratia. Et in eadem Homilia in Reſponſione ad interrogationem, Quid igitur præcipit homini facere? » Sic reſpondet; Voluntas ergo hominis eſt ve- » lut adiutorium à natura inſitum: abſente vero » voluntate neque ipſe Deus quidpiam opera- » tur, quamuis poſsit propter liberam nimirum » arbitrij voluntatem; perfectio igitur operis » ſpiritus in voluntate hominis ſita eſt. Rursùm » ſi totam voluntatem concedamus, integrum » opus nobis adſcribit, mirabilis ille Deus in » omnibus. Ex quibus verbis tam claris nihil con- » cludere volumus, vt vnicuique locum demus Ianſenium ſuo modo ridere.

Poſt Macarium producit Ianſenius Baſilium Seleuciæ Epiſcopum eandem, vt inquit doctrinam accuratè de libero arbitrio tradentem, quem librum cum non haberem, conſului Baſilium Magnum perquirendo, an illum ſub hoc nomine citaret, apud quem hæc verba inueni. » Atqui prius oportet quidem vt velis & tunc » exaudias, vt quod in noſtra ſitum eſt poteſtate, » nullis viribus à nobis extorqueri queat. Et pau- » lò poſt, ad eundem modum beatitudo omnis, » & quæ in ſupplicio, quæve inter moleſtias tra- » ducitur vita, vtrumque à noſtra pendet volun- » tate. Vbi animaduertere poteſt lector, nulla neceſſitate à nobis poſſe extorqueri libertatem, quandoquidem nullis viribus vitamque noſtram

In Iſaiam Prophetam.

Digitized by Google

quoquomodo ſe habeat à noſtra pendere voluntate: vnde rectè ſequitur, nulla neceſſitate determinari ad vnum ; Sed redeo ad verba Baſilij Seleucienſis Epiſcopi à Ianſenio allegata.

Arbitrij libertate refulgens conſilij vim habet, quæ nulla teneatur voluntatis ſeruitute, intentionémque habeat ſui dominam, & inuiolabili (Græce nulla violentia domabili) gloriatur agendorum electione. Et inferius idipſum explicans ſæpius repetit quod Deus neceſſitatem non imponit, & quam neceſſitatem. Neque neceſſitatis legibus vincit obſequentem, neque gratiam per vim aufert, neque intra neceſſitatem dona contrahit. Quæ omnia apertiſſimè Ianſenij ſententiam deſtruunt: ſi enim ita ſunt, quomodo fieri poteſt, vt gratia liberum hominis arbitrium trahat in obſequium ſui?

Poſtea producit Euſebium Ceſarienſem Epiſcopum in libris de Præparatione Euangelica, & in margine, lib. de præparat. Euangelica cap. 6. quem locum cum reperire non potuerim refutandum non ſuſcipiam, præcedentibus ſolutionibus ad id ſufficientibus ; nihil enim probat, ſed poſtea producit eundem authorem contra Hieroclem. *Vbi dicit voluntatem opponere neceſſitati, & exponere quid vtrumque ſit agere voluntate, declarat idem eſſe quod agere arbitrio ſuo, agere vi propria, & motu proprio, & è contrario agi neceſſitate exponit per inuitam velut inanimum corpus exterius agitatum, & velut alienis neruis mobi-*

lem

Digitized by Google

lem huc & illuc perpetuo motu vrgentem duci; Cui duo reſpondeo, primò id non poſſe colligi à nullo, qui mente præocupata non fuerit. Euſebius enim tantum intendit docere, eum qui inuitus & ab alio compulſus quidquam agit, non ex arbitrio ſuo agere. Cætera quæ à Ianſenio dicuntur, à ſua mente tantum præconcepta prodeunt, non ex mente Euſebij: quod clarius apparebit ex textu Latino & Græco, en tibi Latina verſio: Si » hæc, inquam, ita ſe habeant, quænam ratio ob- » tinebit, non ex arbitrio quidem ſuo, ſed ma- » gis inuitam velut inanimum corpus intrin- » ſecus agitatam, & veluti neruis alienis mobi- » lem, huc & illuc perpetuo motu vigentem » naturam duci, nihil vi propria, motuque agen- » tem, neque in ſe ipſam geſtorum cauſas ſuas » referentem; Vnde ſatis liquet, Euſebium neceſ- ſitatem intelligere, omnem cauſam extrinſecus agentem, & liberum arbitrium agitantem. Vbi etiam lector notare poteſt, interpretem vertere ex ſuo arbitrio, quod in Græco eſt ſecundum electionem, ita vt inde ſequatur omnem cauſam excludi, ſiue coactionis ſiue neceſſitatis, quæ tollit electionem voluntati illam determinando ad vnum.

Τὶς αἱρεῖται λόγος, ἄκουσαν οὐχὶ δὲ κατὰ προαίρεσιν ἀψύχου δίκην σώματος ἔξωθεν κινουμένην, καὶ ὥσπερ νευροσπαστουμένην ὧδε κἀκεῖσε ἀεικίνητον ἀγέστου φύσιν, μηδὲν μηδαμῶς, ἐξ ἰδίας ὁρμῆς καὶ κινήσεως, ἐνεργοῦσαν μηδὲ εἰς ἑαυτὴν τὴν τῶν δρωμένων ἀναφέρουσαν αἰτίαν.

Poſtea Chryſoſtomum tanquam ſibi fauentem neſcio qua fronte producit: vult tamen ex eo ſuam diſtinctionem coactionis & neceſſitatis probare, hoc tamen vno tantum prætextu, quod

aliquando Chryſoſtomus, vt alij Patres, de neceſſitate loquens, quæ libertati arbitrij numquam imponitur verbo coactionis & vis perſæpè vtuntur, nec re vera differunt; Neceſſitas enim, quæ aliundè quàm ex ipſo homine procedit, ſed ex cauſa extrinſeca, nó modo neceſſitatem, ſed vim infert voluntati, atque illam deſtruit. Nec vnquam Chryſoſtomus, Auguſtinus, aut alij Patres aliter intellexerunt: nec vllus locus adferri poteſt ex Auguſtino, eius diſcipulis, & alijs Patribus, ex quo clarè pateat illos docuiſſe gratiam Dei vllam vnquam neceſſitatem attuliſſe libertati hominum, nec vnquam illam determinaſſe ad vnum, & ad obſequium ſui, quod certè non probauit Dominus Ianſenius, nec quiſquam vnquam probare poterit. quæ enim loca cuiuſlibet Patris tanquam ſuæ ſententiæ fauentia producit, contraria profectò probant, nec vlla deſidero ad meam ſententiam ſtabiliendam & Ianſenij deſtruendam, quàm ea ipſa quæ profert, vt ſatis clarè apparebit hîc, vbi quæcumque dicit in illam retorquebimus; *Dicit enim Chryſoſtomum, ſic neceßitatem opponere libero arbitrio, vt illam nihil aliud interpretetur, niſi vim, quæ coactum & inuitum facit.* Cui propoſitioni antequam reſpondeam quæro, Num gratia, quæ neceſſitat arbitrium hominis in vnam partem, non tollat illi electionem, ita vt gratiam repudiare non poſſit? Quod ſi neget, Scripturæ ſacræ, & omnium Patrum ſen-

Digitized by Google

tentiæ aduerſatur ; Dicunt enim omnes Patres, Scripturæ ſacræ authoritate nixi in arbitrij poteſtate eſſe ſitum, vt credat ſi velit, non credat ſi nolit, eligat vel recuſet bonum aut malum: nec hîc aliter ſentit Chryſoſtomus, nec probat Ianſenius. Primus textus Chryſoſtomi, quem producit Ianſenius, hic eſt; *Dæmon dicit non eſt in te ſitum porrigere manum, ſed neceſsitate quadam hoc & vi fit.* Vnde Ianſenius ex Dæmonis ſententia argumentans, quia neceſſitatis verbo & vis vſus eſt, colligit liberum arbitrium non deſtrui neceſſitate, ſed vi. *Et quando dicitur neceſsitatem deſtruere liberum arbitrium, intelligendum eſſe de neceſsitate, quæ coactionem & vim infert*; Ego vero vt refellam Ianſenium, argumentor ex eo quod dicit Deus immediatè ante verba allata à Ianſenio; » Deus dicit, appoſui tibi ignem & aquam, vitam » & mortem, quo volueris intende manum: Ex » quo liquet Deum apertè dicere in poteſtate hominis ſitum intendere manum quo voluerit, nec vlla neceſſitate prohiberi, quin poſſit eligere.

Chryſoſtomus homilia 62. ad popul.

Textus ſequens ex Chryſoſtomo non illi magis fauet, & ab omni parte ſuam ſententiam deſtruit, cuius verba hæc ſunt: *Corporis natura, quocumque ipſam opifex ducere velit, eo ſequitur, neque reſiſtet: anima autem ſui iuris vim in ſe habet operandi, neque vlla in re niſi velit, obtemperat; inuitam enim & coactam minimè vult bonam & vir-*

Homil. 11. in Ioannem.

Digitized by Google

tutibus præditam reddere. Neque id animæ virtuti eſſet adſcribendum, ſed ſponte ſua bona ſit, & ſibi virtutem complectendam perſuadeat oportet. Quis enim ex his verbis non colligat, animam ſui iuris vim in ſe habere operandi, ita vt neque gratiæ, niſi velit, obtemperet, eamque ſi velit, poſſit recuſare. Deus enim animam niſi volentem non vult trahere, neque bonam facere niſi velit, idque ſua ſpontè, & ſine vlla neceſſitate actum ſuum determinante, eamque ipſam ſibi virtutem complectendam perſuadere oportere, ergo non à gratia neceſſitante, quamuis impellente. Vnde etiam liquet Ianſenium Chryſoſtomo imponere, illum opponere tantum libero arbitrio vim, violentiam, coactionem, docereque hominem eſſe liberum, ſuæ poteſtatis, quia cogi non poteſt, docet enim illud, ſed etiam quia neceſſitari non poteſt, vtitur enim verbo ἀναγκάζειν, quod eſt neceſſitare, ſed ego in verbo non hæreo, ſufficit enim mihi Chryſoſtomum dicere animam ſui iuris, vim in ſe habere operandi, neque in vlla re poſſe cogi vel neceſſitari, ad obtemperandum niſi velit.

Sermone 30. de diuerſis noui Teſtamenti locis Tomo 5.

Textus ſequens ex ſermone de proditione Iudæ non magis illi fauet, cuius hæc ſunt verba à Ianſenio prolata, quorum pars tantum inuenitur in Chryſoſtomo, quæ tamen vltrò concedimus, quia non iuuant Ianſenij ſententiam, ſed deſtruunt. *Sed hæc omnia ille contempſit, Deus*

Digitized by Google

verò non traxit inuitum: (& cur inquit Ianſenius non traxit inuitum,) & addit, & quoniam bona atque mala in noſtra poſuit poteſtate electionis, liberum donauit arbitrium, & nos inuitos non retinet, ſed volentes amplectitur: Vnde ſequitur gratiam nos non neceſſitare ad vnum, nec hoc verbum inuitum) ſignificare nos velle facere, quoniam Deus poſuit in noſtra poteſtate bona atque mala, donauit liberum arbitrium ad obſequendum gratiæ, vel illam negligere, nec nos amplectitur cum recuſamus gratiam, ſed tantum quando illam amplectimur.

Addit iterum Ianſenius, Chryſoſtomum alibi manifeſtè declarare, liberi arbitrij violationem in coactione tantum conſiſtere, ſermone 43. de laudibus Sancti Pauli, *Nos vero qui ſemel dominatum noſtri adepti ſumus, non in cunctis Deo ſubditos eſſe patimur, qui ſi traheret inuitos, eriperet ipſe quod contulit, ideſt arbitrij poteſtatem:* Quod non poteſt induci niſi contra eum, quia ſi dominatum noſtri adepti ſumus, & in cunctis Deo ſubditos eſſe non patimur, Certè non ſumus ſubditi gratiæ, vt illam non modo inuiti, ſed nec neceſſitate compulſi illam ſuſcipiamus: ſi enim ita eſſet, certè arbitrij noſtri poteſtas eriperetur, quam Deus nobis contulit: ſed certiſſimè apparet Ianſenium non poſſe probare ſuam ſententiam vllis probationibus, cum tam parum conuenientia producat. Quid enim aliud agit

Digitized by Google

dicendo coactionem violare liberum arbitrium? ſequiturne indè neceſſitatem id non agere? poteſtne negare Chryſoſtomum dicere Deum nolle nos neceſſitare atque violentia effici bonos, vtrumque dicendo & confundendo neceſſitatem cum coactione, & coactionem cum neceſſitate? Quod vt facilius quilibet intelligat, proponemus ex eodem Sancto Chryſoſtomo exemplum certiſſimæ vocationis & gratiæ Dei, quæ ſi vnquam poteſt dici determinare voluntatem ad vnum, & quodammodo trahere in obſequium ſui, non inuitam neque coactam, ſed volentem, certè in hoc caſu dicenda eſt, nempe in Sancti Pauli vocatione: tamen Chryſoſtomus aſſerit non neceſſitatum fuiſſe, ſed illi liberum fuiſſe reijcere gratiam Dei, licet ipſius vocem audiret: quod etiam docet exemplo Iudæorum, qui Deo Chriſtum filium ſuum dicenti de cœlis, Hic eſt filius meus dilectus, reſponderunt hic eſt deceptor; cuius Chryſoſtomi hæc
» ſunt verba: Quæ igitur accuſatio eſt, vi & ne-
» ceſſitate ipſum inquit attraxit Deus? qualis
» illa vis & neceſſitas, dic ô homo, vocauit eum
» ſuperne, credis omnino quod vocauit eum
» ſuperne, igitur & te hodie vocat per illam
» vocem, cur & tu non obedis? Vides non eſſe
» neceſſitatis negotium. Nam ſi neceſſitas quæ-
» dam foret, oportebat & te obedire: cum autem
» tu non obedis, manifeſtum, quod ille volunta-

» rius obediuit, & vt diſcatis quod multum qui-
» dem fecit ad ſalutem Pauli vocatio, ſicut & ad
» aliorum omnium hominum facere ſolet, non
» tamen deſtituit eum à ſuis operibus, & ſuæ
» propriæ voluntatis laude, neque nocuit eius li-
» bero arbitrio, ſed voluntarius aduenit ipſe, at-
» que ſua bona voluntate; faciam hoc & alio
» exemplo liquidum. Audiuerunt & Iudæi vo-
» cem ſupernè loquentem, non filij ſed patris
» de Chriſto dicentem circa Iordani fluenta, Hîc
» eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui,
» & dicunt ei hic eſt deceptor, &c. Cætera quæ addit Ianſenius ex eodem Chryſoſtomo illi fauent eodem modo quo quæ ſupradicta ſunt. Credit enim ſibi partam victoriam, quia Chryſoſtomus coniunctim loquitur de neceſſitate, & de vi, & tamen ſæpiſſimè de ſola neceſſitate verba facit, vt hîc de Paulo dicit, non eſſe neceſſitatis negotium, & tamen ſi quædam neceſſitas foret, oporteret omnem vocatum obedire, &c.

Nec minus abſurdè dicit Cyrillum Alexandrinum ſeparare neceſſitatem à coactione, quod vt falſum eſſe probemus, integrum tantum Cyrilli textum producemus: ex quo ſatis liquebit Cyrillum Ianſenio non aſſentiri, & deſtruere determinationem ad vnum, & aſtruere libertatem in vtramque partem ſiue in bonum, ſiue in malum; *Nam omnia, inquit, quæ in cælis rationalis & mentalis creatura liberum habet motum ad*

Digitized by Google

faciendum quodcumque voluerit, & propenſio in vnoquoque & neceßitate libera eſt, (quod notabit Lector) *licebat enim ſic & non aliter bonos celebres fieri & honores aſſequi, iuſtéque condemnari improbos, itaque vt & nos quoque ad quodvis bonum ſponte incederemus, conſilio, non coactè viuere ſuper terram hominem permiſit Deus, & ita fuit ab initio, arripuit enim ſuæ voluntatis habenas, & ſuorum iuſſuum momento in vtraque fertur, in bonum inquam, & in malum.*

Lib. 4. de Adorat. in Spirit. & verit.

Addit iterum alium locum ex ſancto Cyrillo magis ſibi aduerſantem, quem per partiunculas producit & inducit hoc modo; *Nam frequenter, inquit, illas actiones liberas eſſe, quæ ſunt in hominis poteſtate, quarum penes nos facultates, quarum arbitrium & nutus eſt in hominis poteſtate, quod facit cum viſum fuerit, quæ, inquit, eſt ipſißima definitio ſancti Auguſtini*; Quod non nego, ſed ſemper eſt in libero hominis arbitrio credere vel non credere, agere vel non agere, velle vel nolle, gratiam amplecti vel recuſare, quod ipſum Cyrillus ſic exprimit in eodem loco; Voluntaria » enim, inquit, & non quaſi ex neceſſitate, vi» dere oportebat virtutem, neque ita in naturæ » legibus inſitam, vt excidere non poſſit, id » quod ſummæ omnium ſubſtantiæ ac eminen» tiæ proprium fuerit, &c. Vbi de coactione nulla mentio, & neceſſitatem omnimodo excludit Cyrillus.

Poſtremò

Digitized by Google

Poſtremo loco adducit Ianſenius locum ex eodem Cyrillo lib. 4. in Ioannem cap. 7. *Vbi auditus diſciplina doctrinaque adeſt, non vi, ſed perſuaſione oritur: patrocinio igitur Dei patris, quod ex charitate dignis præſtatur, non vi Chriſtum fideles agnoſcunt, non enim poſſumus ſecundum Eccleſiæ veritatiſque dogmata liberam poteſtatem hominis, quod liberum arbitrium appellamus, vllo modo negare; ita iuſti quidem præmijs propter iuſtitiam afficiuntur, qui verò malè vixerunt non iniuria puniuntur.* Et concludendo ſic finit, *Quod ſanè nullo modo ſequitur, ſi libertas aliter, niſi ſola vi & coactione tollatur.* Quod ſanè abſurdiſſimum; ſola enim neceſſitate, quæ quidem vis eſt & coactio, alio tamen nomine vocata. Si enim neceſſitas illa, de qua inter nos agitur, eum ſortitur effectum, vt neceſſariò neceſſitet & determinet voluntatem ad vnum, & illam neceſſariò trahat in obſequium ſui, quomodo remanet illi poteſtas illam rejiciendi, quam Chryſoſtomus dicit Sãctum Paulum habuiſſe, licet de cœlo vocatus, & eum Iudæi etiam de cœlis vocati renuerunt, & ipſi Deo credere noluerunt. Sed ſi tam vera ſit Ianſenij ſententia, quam profitetur non modo eſſe Sancti Auguſtini, ſed omnium Patrum, qui illum præceſſerunt, & illi ſucceſſerunt vſque ad Scholaſticos, edat vel vnum textum, ſiue Auguſtini ſiue aliorum Patrum, qui disertè, clarè, & ſine ambagibus dixerit, gratiæ Dei non poſſe reſiſti, illam

Digitized by Google

determinare & neceſſitare voluntatem in obſequium ſui, & illi tollere libertatem ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia, & tunc aliquid probauerit Ianſenius; quod non fecit, nec efficiet vnquam.

Refutatio Cap. 13.

CApite 13. ſequenti, conatur probare poſt Auguſt. idem docuiſſe omnes vſque ad Scholaſticos, & primò Proſperum, Fulgentium: cui reſpondemus, idem prorſus docuiſſe quod Auguſtinus, ſed non quod Ianſenius, qui primò profert locum ex Proſpero lib. de vita contemplatiua, *diuino iuſtoque iudicio actum, vt quæ fuit (Angelis) manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria, felixque neceſſitas*: quod vltro admittimus cum explicatione, quam ſupra attulimus de libertate Angelica.

Addit Ianſenius alia quædam loca ex Auguſtino, *remanere illam definitionem, qua bonum vel malum eligitur*, adde aut rejicitur, vrget Ianſenius, *ex libertate Dei & Angelorum bonorum & malorum, qui vtrique eligunt, hi bonum, illi malum.* Sed hoc effugium iam Ianſenio obſtruximus, demonſtrando liberum arbitrium hominum non eodem modo ſe habere, quo liberum arbitrium Dei, Angelorum, & beatorum hominum fruentium viſione Dei. Hæc diſtinctio & ſolutio deſtruit ea omnia, quæ à Ianſenio adduntur, qui

Digitized by Google

ſatis aperte declarat ſuam indigentiam ad probandum ſuam ſententiam. Nec enim opus eſſet tot ambagibus, tot diuerticulis & falſis conſequentijs, ſi ſuam ſententiam teſtimonijs claris & apertis ex Auguſtino & alijs Patribus patefacere poſſet.

Refutatio Cap. 14.

CAPITE 14. ſequenti, producit venerabilem Bedam quaſi ſibi fauentem, & ſuam diſtinctionem inter neceſſitatem & coactionem aſtruentem: quod vt refutetur, ſufficiet locum Bedæ à Ianſenio allatum tranſcribere, inde enim apparebit illum Ianſenio minime ſuffragari, imò illum refellere, hæc autem ſunt: *Videndum quæ libertas illius arbitrij fuerit, arbitrium certè liberum fuit, quamdiu ſuæ poteſtatis extitit, ita vt nulla vi cogente, nec Dei, nec diaboli quod vellet bonum, ſeu malum faceret, ſed cum liberum eſſet hoc reſpectu quod à nullo Domino nulla vi poterat, vt vellet aliquid, aut nollet, per ſe tamen debile erat.* Addit de ſuo Ianſenius; *Et cum dixiſſet per peccatum primi parentis totum orbem eſſe factum ſeruum peccati:* Sic pergit; *Venit Dominus nos priſtino reſtituens gradui, reddens arbitrium Patris mei liberum, ſicut prius à vi extranea, ſed noua debilitate propria, vt nemo ſit, qui de ſe præſumat.* Vnde concludit, *Ecce aſſerit libertatem à vi extranea admittens infirmitatem, qua in alteram partem homo pro-*

nus vrgetur, vt oſtendat ei conſtare arbitrij libertatem. Hæc eſt præclara Ianſenij ratiocinatio: Homo infirmus vergit in vnam partem, ergo eſt liber. Certè hoc eſt ridiculum & falſum, hoc dicere Bedam, qui quidem dicit hominem priſtino gradui reſtitui, & ſic quemadmodum liberum habebat arbitrium initio creationis, vt faceret bonum vel malum, ita vt nulla vi, nec Dei, nec diaboli, ab eo prohiberetur; ita poſt recuperatam libertatem à nulla vi extranea cogi poſſit, ita vt ei liberum ſit velle bonum aut malum, Nec iuuat Ianſenium quod Beda tantum de vi extranea loquatur, quia comparat libertatem hominis in hoc ſtatu, priſtino ſtatui ante caſum: Et dicit; Licet hominis arbitrium ſit debilitatum, tamen non minoris eſſe potentiæ, quàm antea per gratiam, quæ tamen gratia, quæ certè eſſet vis externa, illum non neceſſitat, neque cogit, neque determinat eius voluntatem ad vnum, ita vt libera maneat ad velle bonum, ſeu malum facere. Atque vt appareat mens Bedæ non per ambages & futiles & friuolas conſequentias, audiat Lector Bedam ſuam ſententiam clarè promentem: Deus, inquit, vel
» etiam quod neceſſariò facit, fecit hominem
» talem, ſcilicet vt poſſet velle bonum, & non
» velle bonum; quia ſi talem feciſſet, vt numquam
» poſſet niſi velle bonum, inconuertibilem
» feciſſet eum: inconuertibile autem nihil

» eſt niſi Deus, quia non poteſt niſi velle bo-
» num, &c.

Quæ addit Ianſenius, refutatione opus non habent, & ſatis refutata ſunt in ſuperioribus ſolutionibus.

Refutatio Cap. 15.

CApite etiam 15. ſequenti, Ianſenius ſuam probare diſtinctionem nititur ex Damaſceno lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. vt citat 27. & tamen quod dicit, ibi non reperitur, ſed in cap. 14. *Cum diuina natura ſe ſuapte natura liberum arbitrium volendique facultatem habeat, homo quoque & ipſius imago arbitrij libertate, volendique facultate naturaliter præditus erit; quippe Patres liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt.* Et quia nihil ad ſuum propoſitum faciunt, imo illud deſtruunt, dicit Damaſcenum hæc verba ſubiungere, quæ tamen ab ijs longè diſtant; *enimvero cum voluntatem dicimus, non eam coactam ac neceſſitate conſtrictam, ſed liberam dicimus*; Vnde concludit coactionem tantum, non neceſſitatem deſtruere libertatem; Quod certè manifeſtè ex eo falſum apparet, quod Damaſcenus non tantum coactionem, ſed etiam neceſſitatem excluſerit, & meritò: Quid enim intereſt quomodo libertas arbitrij prohibeatur coactione vel neceſſitate, ſi neceſſitas idem operatur quod coactio?

Digitized by Google

Addit iterum Ianſenius alium locum ex Damaſceno, quem citat ex libro 2. Orthodoxæ fidei cap. 27. quem aduerſus eum retorquemus, cuius hæc verba ſunt; *Arbitrij libertas rationi annexa neceſſe eſt: aut enim rationis particeps homo non erit; aut ſi ratione præditus ſit, penes eum quoque actionum arbitrium & poteſtas futura eſt*; Quid inde poſſit colligere Ianſenius arbitrium, penes lectorem relinquo, atque vt facilius concipere poſſit quantum hoc Ianſenio noceat, addo ex Damaſceno verba præcedentia: Quocirca (inquit) quiſquis » conſultat, perinde conſultat, tanquam rerum » agendarum electio in ipſius poteſtate ſit, vt » quod ex conſultatione melius commodiuſque » viſum fuerit, eligat, & cum elegerit, exequatur. Addo etiam paulò poſt ſequentia verba, in quibus poſtquam de brutis diſſeruit, quæ naturam non ducunt, ſed ab ea ducuntur, ſic loqui- » tur: Homo contra vtpote rationis particeps, » naturam potius ducit, quàm ab ea ducatur, quo » fit vt etiam cum aliquid appetit, vel appetitum » comprimere ac coërcere ſi velit vel ipſi obſequi » poſſit.

Quod addit Ianſenius Angelos eſſe libero arbitrio præditos, non negamus; Ex his patet ſemper liberum eſſe hominis arbitrium, eumque actionum ſuarum poteſtatem habere, poſſe conſultare, ita vt electarum rerum electio & executio apud eum libera maneat, poſſit appetitum ſuum

Digitized by Google

coërcere, vel ipſi obſequi, ſi velit, quæ omnia manifeſtiſſimè deſtruunt Ianſenij ſententiam.

Quæ ſequuntur in Ianſenio loca ex Damaſceno, quæ idem dicunt quod præcedentia, non minùs eius ſententiam deſtruunt, ex his tamen ſic concludit. *Ex quibus, inquit, valde manifeſtum eſt, authore Damaſceno, cur impetus illi non rationales, quibus homo percellitur, non ſunt vllo modo liberi, quia videlicet non ſunt rationales.* Sed profectò hæc raciocinatio Ianſenij non eſt rationalis, quia homo ita rationalis eſt, vt poſſit liberè conſultare, eligere bonum vel malum, & quanquam ſæpiſſimè poſt cupiditates ſuas eat, & gratiam Dei reſpuat, ratione quidem male vtitur, eligendo malum ſub ſpecie boni; Nec ideò tamen irrationalis dici poteſt, & inter bruta computandus.

Quod addit etiam Ianſenius 3. ex eodem Damaſceno lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 22. nulla indiget refutatione, ſatis enim illum refutat Damaſcenus, vt clarè apparebit tum ex his, quæ producit Ianſenius, tum ex verbis præcedentibus & ſubſequentibus, & ideo textum Damaſceni integrum hîc adijciemus.

Dicitur autem voluntas, tum de iјs, quæ in noſtra poteſtate conſiſtunt, tum de iјs quæ, in nobis minime ſita ſunt, hoc eſt & de iјs quæ fieri poſſunt: Etenim libidini indulgere, aut pudicitiæ ſtudere, aut dormire, aut aliquid huiuſmodi plerumque volumus, quæ

Digitized by Google

quidem omnia in arbitrio noſtro ſita ſunt, ac fieri poſſunt: volumus item Reges eſſe, id quod in nobis haudquaquam ſitum eſt: volumus etiam fortaſsè nunquam ex hac vita excedere, quod quidem fieri nequit. Voluntas porrò finem ſpectat, non ea quæ ad finem pertinet: ac finis quidem eſt id, quod voluntati ſubijcitur, verbi gratia, Regiam dignitatem tenere, vel incolumi valetudine eſſe; ad finem autem ſpectat id de quo conſilium capitur, hoc eſt modus vel adipiſcendæ ſanitatis vel Regiæ dignitatis; voluntatem porrò ſequitur inueſtigatio & conſideratio. Deinde ſi de re aliqua quæ in arbitrio noſtro ſit, agatur, conſilium ſeu deliberatio exiſtit; eſt autem conſilium inueſtigandi appetitio, quæ de his rebus agendis oritur, quarum penes nos eſt poteſtas. Deliberat enim quiſpiam, an rem aliquam aggredi debeat nec ne; mox id quod melius conducibiliuſque futurum ſit expendit, & iudicium dicitur, poſtea afficitur, atque id quod conſilium cenſuit, comprobat & amplectitur; & tum γνώμη, hoc eſt ſententia vocatur; Etenim ſi ita iudicet, vt tamen ad id quod iudicatum eſt, minime afficiatur, hoc eſt, minime illud amplexetur, ſententiæ nomen id minimè obtinebit. Iam verò poſt affectionem exiſtit electio: Nihil enim aliud electio eſt, quàm è duabus rebus propoſitis alterius præ altera ſuſceptio. Demum poſt electionem ad actionem ſe confert, ac dicitur ὁρμὴ, id eſt impetus. Deinceps in ipſa actione verſatur, eaque vtitur, & tum vſus appellatur: poſt vſum denique appetitioni finem imponit.

Digitized by Google

ponit. Enim-vero in brutis animantibus protinus, vt rei alicuius appetitus exiſtit, impetus quoque ad actionem fit, rationis enim expers eſt eorum appetitio, ſolaque naturali appetitione ducuntur, quo fit vt huiuſmodi appetitio nec naturalis, nec deliberans voluntas dici poßit: voluntas ſiquidem eſt rationalis & naturalis, atque à libera poteſtate manans appetitio. At in hominibus vtpote ratione præditis, naturalis appetitio non tam ducit quàm ducitur; mera enim ac libera poteſtate & cum ratione mouetur, quod videlicet vitales & in cognitione ſitæ facultates in homine coniunctæ ſint, ac proindè libera poteſtate appetit, vult, quærit, conſiderat, deliberat, iudicat, afficitur, eligit, ad agendum fertur, ac denique in ijs quidem rebus, quæ naturæ conſentaneæ ſunt, agit, &c.

Ex his enim non modo ſequitur quod fatetur Ianſenius, omnes omnino motus hominis eſſe liberos, niſi fortaſsè quia addit rationales: ſed omnes hominis motus, licet contra rationem, non deſinunt eſſe rationales, quia in eligendo bonum vel malum, licet male eligat, non deſinit eſſe rationalis; Propterea ex hoc textu Damaſceni, ſequitur multa eſſe in voluntate, quæ non ſunt in poteſtate hominis volentis; ſunt tamen ſemper in poteſtate volendi aut nolendi. Præterea in hoc textu Damaſceni apparet hominem poſſe amplecti vel reprobare bonum, ſuſcipere vel reijcere gratiam Dei; homo enim in

Digitized by Google

poteſtate habet eligere quidquid voluerit.

Addit Ianſenius alium textum ex eodem Damaſceno lib. 3. cap. 14. cuius hæc verba ſunt. *Peculiaris porrò vegetatiuæ eſt, motus ille, in quo ineſt vis alendi, augendi, ac gignendi: ſenſitiuæ internus motus, rationalis atque intellectualis agitatio ea, quæ in arbitrij libertate ſita eſt. Quare ſi vegetatiuæ naturaliter ineſt motio ea, in qua vis alendi, ineſt, & ſenſitiuæ item internus motus, naturaliter etiam & rationali & intellectuali ineſt motus ille, qui ex arbitrij libertate exiſtit.* Et mox ſubiungit: *Arbitrij porrò libertas nihil aliud eſt quàm voluntas, & libro de duabus voluntatibus definiens voluntatem, quæ eſt facultatis ipſius motus; Voluntas inquit appetitio eſt eius, quod ratione vtitur, hoc eſt naturæ rationalis naturæ conſentanea & alia deffinitione, itemque mentis operatricis liber motus.*

Lib. de duabus voluntatibus.

Deinde ſubiungit Ianſenius ſuam ſententiam; *Non poſſet clarius declarare Damaſcenus, & ſi hoc ex profeſſo declarandum ſuſcepiſſet, quod omnis voluntatis cum ratione motus, ſit hoc ipſo liber, ſicut hoc ipſo libera creatura quæ rationalis: & proinde ſi qua neceſſitas in motu voluntatis reperiatur, dummodo non ſit violentia, nullo modo libertati eius aduerſetur, dummodo rationalis motus voluntatis eſſe perſeueret.* Quod certè neſcio vnde poſſit colligere, nec enim in his textibus neceſſitatis aut violentiæ vlla mentio; Præterea in his textibus & præcedentibus Damaſcenus apertè dicit, ideo liberum

Digitized by Google

homini arbitrium, quia motus eius ex rationali & intellectuali ratione & electione ad vtrumlibet procedit, ſiue libidini indulgere, ſiue pudicitiæ ſtudere, &c.

Addit quartò, aliam ſuam ratiocinationem Ianſenius his verbis; *Quartò quia liberum eo modo definit eſſe id, quod eſt in noſtra poteſtate, ſicut hoc Auguſtinus ſolemniter docuit, & ſupra quoque ex Damaſceno vidimus; quid ſit autem in poteſtate ex Auguſtino ſupra conſtitit. Porrò vt etiam Damaſcenus declararet quid eſſe vel habere in ſua poteſtate ſuæ ſignificationis amplitudine comprehenderet, docet ipſe.* Quæ omnia ineptè & falsò dicuntur, nec enim Auguſtinus vnquam, nec Damaſcenus hîc nec alibi docuit, id tantum in noſtra voluntate eſſe quod poſſumus cum volumus: multa enim non ſunt in noſtra poteſtate quæ tamen volumus, & ſunt ſemper in voluntate ad velle aut nolle, dicitur enim (vt repetam id quod iam de Damaſceno protuli) voluntas, tum de ijs, quæ in noſtra poteſtate conſiſtunt, tum de ijs, quæ in nobis minimè ſita ſunt, hoc eſt, & de ijs quæ fieri poſſunt, & de ijs quæ non poſſunt.

Pergit iterum ſuo more Ianſenius contra ſe edere, ſic differens; *Quintò id eſſe in noſtra poteſtate, quod vltrò & ſponte fit, ſcilicet voluntate, atque ratione. Nam alioquin agnoſcit aliquid & in brutis eſſe ſpontaneum, quod ſcilicet libenter ſed ſine rationali conſideratione faciunt, ſic* Lib. 2. Orthod. fidei, cap. 26.

ergo loquitur de ſpontaneo, & eo quod eſt in poteſtate, ſeu arbitrij libertate, ea, quæ fiunt partim in noſtra poteſtate ſita ſunt, in noſtra poteſtate ſunt, ea quæ liberum eſt nobis facere, vel non facere, id eſt: Perſequitur Ianſenius, *Quæ facimus ſi volumus, vt definit Auguſtinus:* Sed addere debuit Ianſenius, vel quæ non facimus (ſi nolumus.) *Sed quia hoc ſtrictius vulgi ſenſu dictum eſſe videbatur, explicationis loco adjicit, hoc eſt ea omnia, quæ vltrò & ſpontè facimus: neque enim ea ſpontè à nobis fieri dicerentur, ſcilicet rationalibus ratione vtentibus, (nam actio apud ipſum definitur operatio naturalis, ita vt brutorum non ſit actio, quia non agunt, ſed aguntur) ſi actio in arbitrio noſtro minimè poſita eſſet; & hæc eſt cauſa cur Damaſcenus, tum in eodem loco, tum alibi in eodem libro, id quod homo ſpontaneè facit, laudem, aut vituperationem comitem habere tradit; Porrò ab hoc genere liberi & exiſtentis in noſtra poteſtate ſtatim diſtinguit, aliud genus liberi, quod magis propriè tale vocari ſolet, de quo ſcilicet deliberamus; Propriè autem inquit in noſtra poteſtate conſiſtunt ea omnia, quæ ad animum ſpectant, & de quibus deliberamus;* Ex quibus verbis, nihil minus reſilit, quàm quod intendit Ianſenius, cuius mentem vt vnuſquiſque facilius comprehendere poſſit, clarius quàm ipſe explicabimus; Vult enim dicere quod toties inculcat homines voluntariè amplecti gratiam, quia libenter & voluntariè ipſi obſequun-

Ibidem cap. 24.

Digitized by Google

tur licet neceſſariò, nos verò libenter fatemur, eos, qui gratiam Dei amplectuntur, liberè quidem & voluntariè illam amplecti, ſed nunquam neceſſariò: in illorum enim libero arbitrio ſemper ſitum eſt velle vel nolle, facere vel non facere, ſuſcipere gratiam, vel eam recuſare. Et hoc eſt, quod docet Damaſcenus in locis à Ianſenio citatis, & quod expreſſius docet in ijſdem, ex quibus ea, quæ prudenter & cautè omiſit Ianſenius, quæ habentur in dicto cap.26. tranſcribe-
„ mus; Propriè autem in noſtra poteſtate con-
„ ſiſtunt omnia, ea quæ ad eum ſpectant, de qui-
„ bus deliberamus. Conſilium porrò ac delibe-
„ ratio de ijs rebus ſuſcipitur, quæ peræquè in
„ vtramque partem contingere poſſunt, (vbi Lector conſiderare poteſt indifferentiam ad
„ vtrumlibet) peræquè autem contingens, id
„ eſt quod & ipſum poſſumus, & quod ipſi ad-
„ uerſatur; huius verò electio penes noſtram
„ mentem eſt, nam ipſa actionis fons eſt &
„ origo: hæc igitur arbitraria ac nobis libera
„ ſunt, quæ in vtramque partem æquè contin-
„ gere poſſunt, (hoc etiam notet Lector) velit
„ moueri & non moueri, impetum facere vel
„ non facere, appetere ea, quæ minimè neceſſa-
„ ria ſunt, & non appetere, mentiri & non menti-
„ ri, tribuere & non tribuere, hocque conuenit
„ gaudere & non gaudere; Item quæ ob quæ mi-
„ nimè æquum eſt; cæteraque eiuſmodi in qui-

Digitized by Google

» bus & virtutis & vitij munus verſatur, horum
» enim libera penes nos eſt poteſtas, quin inter
» ea etiam quæ peræquè in vtramque partem
» contingere queunt, artes numerandæ ſunt,
» eſt enim in nobis ſitum, eam quæ arriſerit, vel
» amplecti, vel rejicere.

Sextò Ianſenius producit Damaſcenum in eodem loco, vt probet coactum & inuitum opponi ſpontaneo; vnde cum nihil colligat, & id non negemus, hîc non tranſcribemus.

Pergit iterum Ianſenius malè ratiocinari, & contra ſe edere, vt ſatis patebit ex eo ipſo quod producit; ſic enim loquitur 7. *Sicut coactum & inuitum oppoſuit iſti ſpontaneo creaturæ rationalis, ita eodem modo coactum, ſeu violentiam opponit libero. Nam lib. 2. cum hominem voluntate liberum creatum eſſe docuiſſet, vt eſſet capax virtutis & vitij, rationem adjicit; Neque enim virtutis nomen obtinere poteſt, quod quis per vim atque inuitus efficit, quaſi diceret quod non efficit voluntatis libertate.* Et lib. 3. *Cum tradidiſſet Chriſtum habere voluntatem: Enimvero inquit cum voluntatem dicimus, non eam coactam, ac neceſſitate conſtrictam, ſed liberam dicimus, &c. Neque enim diuina ſolum & increata natura coactum nihil habet, ſed ne intellectualis quidem & creata, quod hinc perſpicuum eſt; nam cum Deus natura bonus ſit, & natura conditor, & natura Deus, haudquaquam neceſſariò eſt, ecquis enim hanc ei neceſſitatem*

Lib. 2. Orthod. fidei, cap. 12.

Lib. 3. cap. 14.

Digitized by Google

impoſuerit? Ex quo loco licet nihil colligi poſſit, quod Ianſenio faueat, tamen quoniam ibi dicit Damaſcenus coactionem opponi libero, tamen inde concludit neceſſarium non opponi libero, diſſimulans Damaſcenum idem dicere de neceſſitate, quam cum coactione copulat: tamen inde ſic argumentatur; *Nihil luculentius afferri poſſet ad demonſtrandum quod liberam voluntatem opponit ei, quod coactum eſt, & neceſſitate conſtrictum, neceſſitate inquam, non determinationis ad vnum, ſed illa, quæ contra voluntatem eſt, vt ex declaratione de neceſſitate quam à Deo ſeparat, apertiſſimum eſt.* Ego verò nihil abſurdius dici poſſe arbitror. Damaſcenus enim omnem coactionem & neceſſitatem excludit, quæ tollit libertatem voluntatis ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia; Nec vnquam admittit voluntatem liberam dici poſſe, quæ neceſſariò ad vnum fertur, & ita determinatur ad vnum, vt illud non poſſit reſpui, & contrarium eligi: & tantum abeſt vt exceptio quam Damaſcenus adjicit de Deo, illi proſit, quin illam abſolutè deſtruit, quia vt vulgò dicitur exceptio firmat regulam.

Addit Ianſenius ſequentia verba, *Quod ex illa ſignificatione antiquis vſitata fuit, qui non ſolent adhibere, imò abhorrent nomen neceſſitatis in diuinis, etiam reſpectu actionum, quas nos quam maximè neceſſarias, hoc eſt ad vnum determinatas dicimus, vt ſupra ex Auguſtini doctrina diximus, quod quia non*

Digitized by Google

aduertitur à recentioribus, in multas hallucinationes cadunt, dum audito nomine neceſsitatis ſtatim putant determinationem ad vnum indicari: Cui, quia parum intereſt reſpondeo, recentiores qui ſunt non paulò Doctiores Ianſenio, non eſſe hallucinatos, ſed Ianſenium ipſum. Si enim homo neceſſariò obſequitur gratiæ, ſequitur voluntatem eius eſſe determinatam ad vnum, nec in alteram partem ſe flectere poſſe, & ſi neceſſitas illa obſequendi gratiæ non determinat voluntatem ad vnum, quare Ianſenius ipſe id toties dicit, repetit & inculcat; Dicat ergo quomodo liberum arbitrium obſequatur gratiæ neceſſariò ſimul & liberè, ſi non poſſit in alteram partem vergere, ſi coactè & neceſſitate conſtrictus ſit, gratiæ ſoli adhærere, & non poſſit illam reijcere. Cætera, quæ in Ianſenio reſtant in hac inſtantia, nihil concludunt, & eſt tantum repetitio eorum, quæ ante dixit.

Poſtea ſuam ratiocinationem ſic ſubijcit, *Hæc arbitror ad oculum oſtendunt (tantum ſtudium contentionis abſit) ouum ouo non eſſe ſimilius, quàm Damaſcenum Auguſtino, in hoc argumento de eſſentiali arbitrij libertate; imò nonnulla luculentius quàm Auguſtinum expreſſiſſe, cum tamen à recentioribus quam longiſſimè ab illa ſententia receſſiſſe videretur. Sed iam non ſemel, neque ſine animi dolore expertus ſum, veteres Authores à quibuſdam hominibus, non diſcendi cauſa, indifferenti animo legi, ſed hoc vno dun-*

taxat

Digitized by Google

taxat ſcopo, vt ſuas præoccupatas opiniones & quoquo modo deffendendas, eorum authoritatibus muniant: ex quo fieri ſolet, vt quidquid quæritur in eis inueniant; Non enim id quod ipſi ſentiunt, ſed quod ſenſibus ſuis quaqua ratione blandiatur, & obtorto collo in ſuas opiniones trahunt. Quod quidem Ianſenium de ſe ipſo dixiſſe arbitror, bene enim ſe nouerat, & opera ſua cum eius naturæ ſatis indicant. Dicit enim primùm ſe ſuam ſententiam auctoritate Auguſtini munire, cuius ne quidem vllum textum produxit clarum & apertum, ſed inuitum & coactum vult in ſuas partes trahere, falſis conſequentijs & particulis ex dictis eius vndequaque collectis & conſutis; Et ad hæc toties legit Auguſtinum. Nec enim tanto labore opus fuiſſet, ſi vel ſemel Auguſtinus pronuntiaſſet, quod illi Ianſenius imponit: & licet primùm tantum ſibi Auguſtinum patronum aſſereret, etiam Damaſcenum contra eum ex diametro pugnantem, cæteroſque Patres tanquam ſibi fauentes producit & inducit; quod manifeſtè falſum quilibet reperiet, qui Ianſenium examinare voluerit. Nec ceſſat tamen recentiores infeſtare, quia illos ſibi maximè aduerſantes diffiteri non poteſt, timénſque ne ab illis valde lædatur, quantum poteſt illorum auctoritatem imminuit, qui certè immunes ſunt, vt arbitror, ab eo crimine, quod illis imponit Ianſenius, qui quidem illi hoc tantum verſu reſpondent:

P

Digitized by Google

Clodius accuſat Mœchos, Catilina Cethegum.

Nec his contentus præclaro more & ſibi ſolito Ianſenius credit ſe omnia, quæ ex Auguſtino & Damaſceno clara & aperta producuntur, vno verbo diluere, cum ipſe nullum ex quocumque auctore locum ſibi fauentem producat, ſic finiens; *Neque verò quiſquam iſti doctrinæ contrarium putet, quod ſubinde Damaſcenus dicat liberi arbitrij eſſe deliberare, & deliberatum eligere vel non eligere; in poteſtate eſſe in hanc vel illam partem declinare; eſſe bonum vel malum provt viſum fuerit, & ſimilia. Nam & Auguſtinus eadem & fortè inſtantius quàm Damaſcenus docet; Nec tamen propterea ſibi Auguſtinus aduerſus eſt; nam vel de quodam genere actionum loquuntur in humanis moribus celeberrimo; vel ſi de omnibus intelligi malis, de omnibus vera ſunt, eo modo quo ſupra ex Auguſtino expoſuimus, & infrà fortaſſe dicturi ſumus.* Qua confeſſione non melius Ianſenius declarare potuit opus ſuum eſſe futile: primò cum nullum locum ex quolibet Patre Orthodoxo ſibi fauentem producat; quem ſi fortè produceret, meliori titulo illi opponi poſſet, Auguſtinum non eſſe ſibi aduerſum, cum tot locis contrarium docuiſſet, meliuſque fore, ſi quidam locus contrarius afferretur, illum interpretandum eſſe ſecundum modum, quem ſæpius vſurpaſſet.

Digitized by Google

Reſutatio Cap. 16.

VENIAMVS ad caput 16. in quo Ianſenius dicit ſe probare ex Anſelmo ſuum intentum. Pimò adfert locum ex Anſelmo lib.2. Cur Deus homo cap. 10. 17. *Impropriè dicitur neceſsitas, vbi nec coactio vlla eſt, nec prohibitio*; Quod certè non negamus, ſed eſt etiam neceſſitas, vis quædam cogens & neceſſitans voluntatem in obſequium ſui; addit Ianſenius, *Et multò inferius de Deo*; Quod tamen non eſt inferius, ſed prius: *Nec dicimus Deum neceſsitate facere aliquid, eo quod in illo ſit vlla neceſsitas, ſed quoniam eſt in alio, ſicut dixi, impotentia; Quando dicitur non poſſe, Omnis quippe neceſsitas eſt, aut coactio, aut prohibitio, quæ duæ neceſsitates conuertuntur inuicem, ſicut neceſſe & impoſsibile.*

Vnde cum rectè videat nihil concludi poſſe, niſi in Deo neceſſitatem non eſſe, quod non negamus, & iam ſæpe confeſſi ſumus; Addit alia verba ex Anſelmo, ex quibus ſuam ſententiam ſtabilire conatur, ſed etiam ineptè, primo lectorem moneo, Ianſenium accipere, prima verba ab eo producta, quæ priora facit in Anſelmo, poſtea priora & ante dicta cum præcedentibus conſuit, poſtea recurrit ad alium textum citatum cap.10. vbi quæ dicit non inueniuntur, & ſic ijs reſpondere non tenemur, quod tamen præſtabimus in ſubſequentibus.

Secundò enim loquitur de voluntate Dei, qui liberè iuſtus eſt, quæ omnia parum inſeruiunt Ianſenio. Iam enim ſæpiſſimè docuimus multum eſſe diſparem à voluntate hominum, nec quæ dicit, inueniuntur in locis ab eo citatis.

Similiter & quæ de Chriſto, quæ etiam non inueniuntur in locis citatis, quibus reſpondere non eſt opus, cum id iam ſæpè præſtiterimus. Sed quis non miretur Ianſenium per tot diuerticula ſuam probare ſententiam conantem, cum nequeat vllum textum ex quocunque orthodoxo authore producere ſuam ſententiam aſſerentem, quod ipſe vltrò fatetur, etiam hîc vt antea alibi, ſic hunc textum finiens; *Neque verò*, inquit, *quicquam refert, quod Sanctus Anſelmus alibi libertatem illam humanæ voluntatis explicans, ſubinde indifferentiæ ad oppoſita mentionem faciet: Idem quippè ſæpiſſimè Auguſtinus docet; Nec enim in omnibus actionibus & hominum ſtatibus eſt idem libertatis modus, vt alibi dicturi ſumus, quamuis eadem ſit ſemper eſſentialis ratio libertatis.*

Vnde ſatis conſtat Ianſenium ſuam ipſius ſententiam improbare, faterique contrariam eſſe veriſſimam, cum ad eam negandam ſibi paret effugia. Quomodo enim poteſt clarius demonſtrari ſententia Ianſenio aduerſans, quàm producendo Scripturam & Patres, libertatem ad indifferentia ſtatuentes & docentes, gratiæ Dei poſſe

Digitized by Google

reſiſti ; liberum eſſe voluntati hominem illam amplecti aut rejicere ; quod hîc & iam alibi vltrò cum negare non poſſit, faſſus eſt Ianſenius. Atque vt vno verbo deſtruã quidquid ex Anſelmo probare conatur Ianſenius ; Audiat hæc verba ex eodem libro de Concordia gratiæ, &c. vbi
» de iuſtitia ſic loquitur, Ad falſa brutorum ani-
» malium commoda, quæ beſtiales appetitus
» ſuggerunt, ſe conuertit, & ita cum ea vult in-
» ordinate rectitudinem, aut ne accipiatur obla-
» tam repellit, aut expellit.

Refutatio Cap. 17.

POST Anſelmum Ianſenius producit Sanctum Bernardum ; *Ex quo inquit plurimis euidentiſſimiſque argumentis oſtendi poteſt, non aliam intellexiſſe neceſſitatem, quàm eam, quam Sanctus Auguſtinus definit, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus efficit id quod poteſt ; Hoc eſt neceſſitatem, quæ voluntati repugnat eſſentialiter, neque aliud eſt niſi vis, violentia, coactio* ; Et in margine ſic citat lib. 5. de ciuitate cap. 10. fallit & fallitur Ianſenius, quia neceſſitas etiam illa dicenda eſt, quæ neceſſariò nos facit velle, quæque etiam nos impedit nolle, ita vt gratiæ ſic obſequamur, vt nobis liberum non ſit illi non obſequi ; Et hoc eſt quod Sanctus Auguſtinus in eo loco dicit multa nos facere, quæ ſi nollemus non faceremus.

Poſtea Ianſenius nititur probare neceſſitatem illam, à qua liberum arbitrium dicitur *Efficere vt non ſit voluntarium , non eſſe illam ſimplicem neceßitatem , qua ſimpliciter aliquid neceſſarium eſſe dicitur, & qua beatificus voluntatis amor neceſſarius eſt, ſi horum quodlibet inquit prohibente ratione voluntas non poſſet , vbi quippe neceßitas , iam non voluntas. Et in margine citat lib. de Gratia & libero arbitrio.* Et addit aliquanto inferius, *Eſt verò quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere poſſumus à neceßitate , eo quod neceſſarium voluntario contrarium eſſe videatur : ſiquidem quod ex neceſſitate fit , non iam ex voluntate, & è conuerſo ſimiliter.* Et adhuc inferius , *Vtrobique voluntas , & vbique libertas, cedit quippe voluntati neceßitas.* Quæ omnia etiam ſi ſibi aduerſentur pro ſe inducit Ianſenius hoc modo. *Hæc autem prorſus falſa ſunt, ſi ſimplex neceßitas intelligatur , cum illa iuxta Sancti Auguſtini & ipſius Bernardi ſententiam, in eodem libro , beatorum voluntati competat , qua iam amplius peccare non poſſunt , & Deum clarè viſum voluntaria quadam neceßitate diligunt* : Quæ conſequentia prorſus falſa eſt , quia libertas hominum beatorum eſt ita liberata, vt maneat libera à peccato & à neceſſitate ; Quod certè nondum cōpetit hominibus viatoribus, qui ita ſunt liberi, vt peccare & non peccare poſſint , & non ſimpliciter eligere bonum. Et certè miror audaciam Ianſenij, qui textus tanquam ſibi fauentes pro-

ducit: & cum non ſint, vt eos ſibi reddat propitios, vult illis ſuum ſenſum impingere, & ſenſum authoris negare, cuius tamen ſententiam facilè eſt aperire, ex antecedentibus & ſequentibus; At verò (inquit) Bernardus, ratio data voluntati, vt inſtruat illam non deſtruat: deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei vllam imponeret quominùs liberè pro arbitrio ſeſe volueret, ſiue in malum conſentiens appetitui, aut nequam Spiritui, vt ſit animalis non percipiens, vel certè & perſequens ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſiue ad bonum, gratiam ſequens, (notet Lector) vt fiat ſpiritualis, qui omnia dijudicans ipſa minimè iudicet. Ex quibus ſatis clarè liquet Sanctum Bernardum docere hominem poſſe gratiam ſequi vel perſequi; ibique loqui de ſimplici neceſſitate, quæ neceſſitet actum liberi arbitrij ad vnum. Poſt quæ verba ſequuntur ea quæ ſupra attulit Ianſenius, ſi inquam horum quodlibet prohibente ratione voluntas non poſſet, voluntas iam non eſſet, vbi quippe neceſſitas, iam non voluntas; Quæ poſtrema verba, vt ea magis inculcet, iterum repetit Sanctus Bernardus: Cæterum inquit, quod ſui liberum non eſſe cognoſcitur, quo pacto vel bonum ei vel malum imputatur, excuſat nempè vtrumque neceſſitas: porrò vbi neceſſitas, ibi libertas non eſt, vbi libertas non eſt, nec meritum. *Et poſt pauca*, poteſt quidem mutari voluntas, ſed

Digitized by Google

„ non niſi in aliam voluntatem, vt nunquam
„ amittat libertatem,&c. *Et infrà,* Eſt verò quam
„ magis ei congruere arbitror libertatem, quam
„ dicere poſſemus à neceſſitate, eo quod neceſ-
„ ſarium voluntario contrarium eſſe videatur.
„ Siquidem quod ex neceſſitate fit, non iam ex
„ voluntate, & è conuerſo ſimiliter; Vbi notabit lector Bernardum prius locutum de libertate à peccato, & de libertate à miſeria; Et tunc loquitur de libertate à neceſſitate, quam homini tribui docet, vt & etiam infrà, non enim vult ha-
„ bere bonam (ſupple voluntatem) niſi per vo-
„ luntatem; Quod ſi voluntatem, & libertatem;
„ ſed libertatem à neceſſitate, non à peccato; Quæ verba confundunt omnia Ianſenij argumenta petita ex neceſſitate Angelorum & beatorum hominum, quorum quidem maius & ſuauius eſt arbitrium, vtpote iam liberatum à peccato, quod homini in via non competit, vt hîc docet Sanctus Bernardus.

Poſtea multos textus ex eodem Sancto Bernardo profert, quos ego nec tranſcribere volo, nec refutare, hos enim omnes aduerſus Ianſenium retorqueo, certumque facio omnibus, neminem eſſe, qui ſublata Ianſenij gloſſa, illos eius ſententiæ fauere credat, quinetiam qui in illum non inducat. Tantum enim intendit probare coactionem, & violentiam impedire libertatem arbitrij; ſimplicem verò neceſſitatem

Digitized by Google

tem id non efficere, Et hoc illi negatur; & probare vnum non eſt aliud reprobare, quod ſatis ex Sancto Bernardo probauimus.

Argumentatur etiam Ianſenius ex diffinitione voluntatis per Sanctum Bernardum: *voluntas eſt motus rationalis, ſeu ſui prouidens & appetitui*, Vnde colligit conſenſum voluntatis hoc ipſo eſſe liberum, quo rationalem: Quod non negatur. Sed homo rationalis poteſt malè & contra rationem eligere, licet ſub prætextu boni, cum ſuo ſenſui & appetitui prouideat, quo malè vtens poteſt ire poſt concupiſcentias ſuas.

In fine capitis triumphat, quaſi ex S. Bernardo manifeſtam ſuam ſententiam fecerit, quamuis clariſſimè illam oppugnet, & repetit ex Auguſtino quod toties dixit ex lib. 5. de Ciuitate Dei, multoſque Scholaſticos in eadem fuiſſe ſententia, & Bernardum huius ſententiæ ſemper auctorem fuiſſe, voluntatem nulla vi poſſe cogi, ſed addere debuit nec neceſſitari: dicitque cauſam hallucinandi recentioribus fuiſſe, verbum iſtud neceſſitatis, qui crediderunt id ſignificare quod quoquo modo neceſſariò ſit, licet longè aliter interpretetur, ab Auguſtino, Damaſceno, Bernardo & quod ſe probaſſe dixit, quod tamen falſum ex ipſis locis ab eo citatis manifeſtè conuincitur.

Digitized by Google

Refutatio Cap. 18.

POST Bernardum cap.18. producit Hugonem de Sancto Victore, quem idem ſentire cum Sancto Bernardo aſſerit; & hoc verè: ſed neſcio qua fronte eos ſibi fauentes exiſtimat, cum ipſi eius ſententiam penitus deſtruant, ſed Ianſenio omnes auctores ad libitum ſuum ſentiunt, cum enim contrarium dicunt, id ſuo modo vult intelligendum, quia vt vidimus in S. Bernardo præcedenti, quod ille dicit nullam eſſe libertatem vbi eſt neceſſitas, vult intelligi, vbi neceſſitas adeſt, ibi maiorem adeſſe libertatem: Sic hîc producit deffinitioné liberi arbitrij ex Hugone, *Eſt, inquit, in rationali volũtate ſpontaneus appetitus boni, qui nec coacto dari, nec inuito auferri poteſt.* Vnde ſic infert, *Vbi quod voluntatem rationalem nominat, videtur intelligere voluntatem, quæ cum pleno iudicio rationis operatur, vt motus indeliberati ab actibus liberis ſeparentur: vides ergo nihil omnino ad actum liberum requiri, niſi vt ſit actus voluntatis, cum ratione deliberata agentis ſpontaneus, non coactus.*

Lib. 10. Miſſelaneorum, tit. 175.

Sed in hoc peccat Ianſenius, quod ſub coacto neceſſarium etiam intelligitur, vt voluntas neceſſario non determinetur ad vnum, ſed maneat libera ad vtrumlibet, ſiue ad indifferentia. Ac ne quiſquam meam explicationem reprobare poſſit, petenda eſt ab ipſo Hugone de Sancto Victore in eodem loco, ex quo quod ſibi Ianſenius propitium exiſtimauit, excerpſit. Priorem

Digitized by Google

deffinitionem Hugonis ſuam ſententiam diſertè explodentem omiſit, quæ eſt hæc; Liberum
„ arbitrium eſt habitus rationalis voluntatis,
„ qua poteſt vel adiuuante gratia ad bonum
„ quod non habet, aut minus habet, proficere,
„ vel ſinente gratia à bono quod vel habet,
„ vel habere debet, per ſemetipſum deficere.

Addit tamen ex eodem Hugone in Summa ſententiarum tractatu 3. cap. 8. quæ licet apud Hugonem reperire non potuerim, & ſi perquiſierim omnia opera ſua in tres tomos digeſta, in quibus hic tractatus non reperitur, ſi plures ſint neſcio: tamen quia contra producentem faciunt, hîc tranſcribere ſimul & refutare decreui, & hæc ſunt: *Cum itaque habeamus cum peccoribus communem ſenſum & appetitum, liberum arbitrium nos ab eis diſcernit, penes quod omne meritum conſiſtit. Cum enim nulla vi, nulla neceßitate cogatur, non immeritò beatitudinem ſeu miſeriam promeretur: ingenium quoque & memoria, & cætera ſimilia nec iuſtum nec iniuſtum conſtituunt.* Conſideret Lector numquid hæc, cuiuſcumque authoris verba ſint, non deſtruant Ianſenij mentem, eiuſque differentiam penitus tollant, cum ille author vim & neceſſitatem ſimul complectatur. Addit tamen iterum Ianſenius, *Et Sancti Bernardi verbis ſenſa ſua promens & probans, ſiquidem inquit nec tardum ingenium, nec labilis memoria imputatur: ſola itaque voluntas, quæ ſemper libera eſt, & nunquam cogi po-*

Digitized by Google

teſt meritò apud Deum iudicatur, ea ſemper à neceſſitate libera eſt, vbi enim neceſſitas, ibi non eſt libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum. Conſideret lector, ſi vellem meam ſtabilire, & Ianſenij ſententiam deſtruere, an poſſem textum magis mihi propitium fabricare, dicit enim ille author ſemper liberam eſſe voluntatem: nec vnquam cogi poſſe; quia ſemper à neceſſitate libera eſt; nec amplius de coactione verba faciens, dicit, vbi neceſſitas eſt, non adeſſe libertatem, nec voluntatem, & tamen contra mentem authoris, & contra expreſſa verba, quæ ſignificant id quod volumus, vult ille illa non ſignificare quod ſonant, ſed contrarium, vt inde hæc colligat. *Ecce inquit oppoſitam neceſſitatem libertati, & neceſſitatem expoſitam per coactionem, & idcirco concluſum, ſicut Sanctus Bernardus concluſerat, vbi eſt neceſſitas, ibi nulla eſt libertas; & vbi non eſt libertas, ibi nulla voluntas: Quia in eorum ſenſu ſola & omnis voluntas repugnat iſti neceſſitati, quod de ſimplici & voluntaria neceſſitate prorſus falſum eſt.* Cuius concluſionis & noſtræ refutationis iudicium ſit penes Lectorem: & Ianſenius adeò adhuc temerarius eſt, vt neceſſitatem vocet voluntatem, licet vbi adeſt neceſſitas, nec voluntate, nec deliberatione opus ſit.

Ibid. c. 9. Inſtat Ianſenius, *Secundò itaque, ne quis verba Hugonis & Bernardi quaqua via in alium ſenſum raperet, auctor ipſe ſuſpiciones præuenit. Nam ſequen-*

Digitized by Google

ti ſtatim capite rem accuratius explicans, celebrem illam diuiſionem ponit à Bernardo traditam; Eſt namque triplex libertas à neceßitate, à peccato, à miſeria, à neceßitate, & ante peccatum, & poſt æqualiter liberum eſt; ſicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modo. Et verbis S. Bernardi rurſus vtens, hæc libertas æqualiter eſt in omnibus non minor in malis quàm in bonis, tam plena poſt peccatum, ſicut ante peccatum: Quæ verba cum illum non iuuent, vult illam libertatem intelligendam eſſe de coactione, licet ibi de ea nulla mentio, ſic ille verba inuertit, ſignificationem eorum mutat, nihil vult illa ſignificare niſi quæ ſibi placent, nec adhuc tali effreni licentia vtens poteſt euitare, quin ipſe iugulum præbeat Dicit enim voluntatem hominis æque fuiſſe liberam à neceſſitate, ante & poſt peccatum, tam plenam poſt peccatum, ſicut & ante peccatum: ſed ante peccatum vt credo liberam à neceſſitate fuiſſe non inficiatur, ergo etiam poſt peccatum. Quod ſi neget, & dicat quis voluntatem hominis ante peccatum non fuiſſe liberam à neceſſitate, ſed tantum à coactione; quomodo ergo cecidit & neceſſariò non obſequutus eſt gratiæ? gratiam enim Dei habebat, cui obſequi, ſi neceſſitate conſtrictus fuiſſet, profectò obediuiſſet, & non cecidiſſet.

Inſtat tertiò Ianſenius, *Liberum idem eſſe quod voluntarium aut ſpontaneum, non alieno ſed ſuo*

Digitized by Google

impulſu motum. Nam in eodem loco, cum neque bonos, neque malos Angelos libero arbitrio carere tradidiſſet, quamuis illi non poßint eſſe mali, neque iſti boni, ſic concludit; Liberum itaque arbitrium ex eo dicitur, quod eſt voluntarium: quod enim boni Angeli non poſſunt eſſe mali, non facit neceßitas, ſed confirmata per gratiam voluntas: quod mali non poſſunt boni eſſe, non facit vlla coactio, ſed obſtinata voluntas in malum, & tamen iſti natura & illi mutabiles ſunt. Cui textui reſpondeo, liberum quidem arbitrium dici ex eo quod eſt voluntarium; ſed neque liberum, neque voluntarium dicitur ex eo quod ſit neceſſarium, quod tamen intendit Ianſenius, quod neque probat, neque quiſquam probare poteſt, quia falſum. Quod verò Angeli ſint liberi, non facit neceſſitas, ſed confirmata per gratiam voluntas, quod hominibus iam beatis contingit, & continget viatoribus hominibus, cum peruenerint in patriam, quod iam ſæpe & iterum in refutatione ſequentis capitis explicabimus: & quod dicitur Angelos ſiue bonos, ſiue malos natura fuiſſe mutabiles, noſtram confirmat ſententiam & explicationem, quia natura, & antequam confirmati eſſent in gratia erant mutabiles, nunc verò per gratiam immutabiles.

Tract. 2. Summæ ſent. c. 4.

Addit Ianſenius, *Et alibi rurſum, cum idem omnino tradidiſſet de bonis & malis Angelis, obijcit ſibi, Ad hoc opponitur, quod liberum arbitrium ha-*

bent, & in vtramque partem poſſunt flecti. Reſpondet, ſed inde non dicitur liberum arbitrium, vt in ſuo loco oſtendemus, ſed liberum id eſt voluntarium, & boni non neceſſitate cogente, ſed libera voluntate à malo abſtinent, ſimiliter & mali à bono. Vnde ſic colligit, *Ecce clariſſimè deffinitum liberum arbitrium eſſe, quia voluntarium, neceſſitatem oppoſitam eſſe voluntati etiam immutabili per pœnam aut præmium, eandemque neceſſitatem aliquoties expoſitam per coactionem.* Cui reſpondeo liberum arbitrium eſſe quidem clariſſimè deffinitum per voluntarium, quod aſſerimus & nos; non per neceſſarium vt vult Ianſenius, & nos negamus. Quod autem neceſſitas opponatur voluntati, eſt idipſum quod dicimus: quod verò neceſſitas exponatur per coactionem, non video; quinimò concludit auctor liberum arbitrium non videri in Angelis, quia in vtramque partem flecti non poteſt; quod argumentum eruitur ex natura & eſſentia liberi arbitrij; & reſpondet auctor, diuerſum obtinere in Angelis: liberum illis dici arbitrium, quia voluntarium, cum amplius in vtramque partem flecti non poſſint confirmati in gratia, aut obſtinati in malo.

Addit etiam Ianſenius; *Hinc quartò ipſam naturam liberi in motibus liberis explicans, nihil aliud ad eſſentiam eius explicat, quàm vt per ſe ſuo motu, non alieno impulſu, vel coacto motu moueatur, ex quo autem voluntate mouebatur, velle erat, & à*

Digitized by Google

voluntate erat, quæ liberè mouebatur, quia per ſe mouebatur, & non impulſu alieno, & hoc ipſum meritum erat, & vocabatur bonum : Vnde nihil concludit Ianſenius, dicens in fine capitis, Hugonem ſatis ſe explicare, Ego verò inde concludo liberum arbitrium dici, quia ex ſeſe eſt, & ſe ipſum mouet; Ergo licet impellatur & agatur à gratia, tamen liberè, non neceſſariò, & ita liberè, vt in vtramque partem flectere ſe poſſit, in bonum vel malum, gratiæ obſequi, vel illam reſpuere.

Sequitur in Ianſenio; *Ex quo autem voluntas erat, libertas erat, quia voluntatis eſt libertas, quoniam potens erat per ſe moueri, vt vltra iret huc vel illuc, ſiue coactione vel adiuta vel derelicta, quoniam libertas eſt voluntatis, ex quo eſt voluntas ipſa in primo principio*, vnde tantum colligi poteſt vt antea, liberum arbitrium per ſe moueri, quod non nego, & quod dixi ſuperius huius textus, ſolutioni inſeruit.

Sequuntur in Ianſenio hæc verba. *Et quaſi deffinitionem liberi arbitrij tradens: Quoniam ſpontaneus motus, vel voluntarius appetitus liberum arbitrium eſt, liberum quidem in eo quod eſt voluntarius; arbitrium vero in eo quod appetitus. Sed & ipſa poteſtas & habilitas voluntatis eſt libertas, quæ mouetur ad vtrumque (ſcilicet bonum & malum) & liberum arbitrium dicitur voluntatis. Voluntariè autem moueri & ferri ſpontaneo appetitu, hoc eſt poteſtate eligere & libertate iudicare, in quo conſtat*

liberum

Digitized by Google

liberum arbitrium, & propter hoc facti ſunt liberi arbitrij, vt voluntario appetitu mouerentur, ſed ſecundum electionem voluntatis & inclinationem deſiderij ſui ſine coactione; Quem textum propter poſtrema verba tantum producit ſecundum electionem voluntatis & inclinationem deſiderij ſui ſine coactione: quaſi verò illud includat illam fieri cum neceſſitate, diſſimulans in eo liberum arbitrium dici, quia voluntarium, & proinde non neceſſarium, ibique dici libertatem eſſe, per quam voluntas mouetur ad vtrumque voluntariè & voluntario motu, ergo non neceſſario, eſſeque poteſtatem eligendi & liberè iudicandi: quæ cum omnia Ianſenio aduerſentur, neſcio qua fronte ea producere audet.

Refutatio Cap. 19.

IN hoc cap. Ianſenius producit Richardum de Sancto Victore, vt ex eo probet, in hoc ſitam eſſe arbitrij libertatem, quod nulla vi aut poteſtate cogi poteſt, adeoque in hoc ipſo Dei ſimilitudinem gerere; *Vultis, inquit, & maieſtatis ſimilitudinem in ipſa perſpicere, & quomodo eius ipſa imagine impreſſa ſit euidenter cognoſcere; Deus ſuperiorem non habet, nec habere poteſt, & liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati poteſt, quia violentiam inferre ei, nec creatorem decet, nec creatura poteſt, totus infernus, totus mundus, totus denique militiæ cæleſtis exercitus in vnum concurrat, in*

Tractatu de ſtatu interioris hominis cap. 3.

hoc vnum coniuret, vnus ex libero arbitrio conſenſus, in qualicumque re inuito extorqueri non valet; Cui facile eſt reſpondere, liberum arbitrium hominis nulla quidem vi cogi poſſe, ſed quæro à Ianſenio, & quolibet alio; Si propterea quod nulla vi cogi poteſt, ſequitur poſſe neceſſitate, & ſi neceſſitate cogatur, remaneat liberum, & ſi neceſſitas illud ferat in bonam partem, non ſit illi liberum ab ea deflectere: Et numquid Richardus à Sancto Victore dicendo, neque infernum, neque totum mundum, neque totius militiæ cœleſtis exercitum, valere ad extorquendum liberi arbitrij conſenſum, non ſatis declarat actum eius nulla neceſſitate poſſe determinari ad vnum, numquid etiam illa ſimilitudo ad imaginem Dei, qui nulla neceſſitate impellitur, quam homo refert, ſatis indicat illum nulla neceſſitate compelli aſſenſum ſuum præbere gratiæ.

Citat Ianſenius, ibidem cap. 21.

Addit Ianſenius hæc ſequentia, *Et in progreſſu tractatus iſtius vberius* (citans ibidem cap. 21. quod ibi non reperitur, ſed in cap. 23.) *ſed ſi diligenter attendimus, puto quod inueniemus hominem non modo libertate non carere, ſed magnam imo ſummam libertatem poßidere: primus ſiquidem libertatis gradus eſt, nulli coactioni ſubiacere; ſecundus autem nulli ſubijci debere* (& per parentheſim, nempè peccato) *tertius vero & ipſe ſummus nulli penitus ſubijci poſſe.* (Et iterum, *ecce hoc eſt, vt Auguſtinus loqui*

ſolet peccare non poſſe) quomodo ergo arbitrium hominis verè, imò ſumme liberum non eſt, quod ſua libertate nulla vi, nulla poteſtate priuari poteſt? nam hoc nec creatura valet, nec creatorem decet: ſed quomodo vel creator hoc poteſt, qui nihil quod non decet, facere poteſt? ſi igitur nulla violentia arbitrium poteſt ſua priuare libertate, conſtat illud ſummam libertatem habere.

Addit iterum Ianſenius, *Vnde in alio eiuſdem libri loco eſt illa eius diffinitiua ſententia* (*citans ibidem cap.33.*) *Illud in poteſtate eſt, quod pro arbitrio voluntatis fieri, vel prætermitti poteſt; illud in libertate habemus, ad quod aliena violentia cogi non poſſumus.* Quæ omnia ſponte amplectimur, & contra Ianſenium retorquemus: ſi enim liberum arbitrium nulli penitus ſubijci poteſt, ergo non neceſſitati: item ſi arbitrium hominis eſt verè & ita ſummum, vt nulla poteſtate, ſua libertate priuari poſſit, ergo ea per neceſſitatem non priuabitur, atque etiam, ſi id eſt in poteſtate, quod pro arbitrio voluntatis fieri vel prætermitti poteſt, ergo eſt in poteſtate arbitrij liberi, gratiam ſuſcipere vel prætermittere. Item ſi in poteſtate habemus id ad quod aliena, violentia cogi non poſſumus, neceſſitate gratiæ, quæ certè eſt vis & poteſtas aliena, non cogemur illi obſequi. Sed vt quæſtio facili negotio, & ſine vllis ambagibus aut conſequentijs, claris & apertis verbis dijudicetur; Audiat vnuſquiſque Richardum li-

Digitized by Google

tem iudicantem, & ſententiam pronunciantem
» his verbis : Libertatis verò eſt, quod conſenſus
» eius extorqueri vel cohiberi non poteſt : po-
» teſt enim conſentire vel non conſentire aſpi-
» rationi diuinæ, ſimiliter & ſuggeſtioni Dia-
» bolicæ, vtrumque quidem ex libertate, neu-
» trum autem oportet ex neceſſitate. Quæ quidem verba in cap. 13. præcedunt immediatè verba allata à Ianſenio ex cap. 13. quæ aperte ſtatuunt hominis voluntatem eſſe liberam à neceſſitate, poſſe conſentire vel diſſentire aſpirationi diuinæ, ſimiliter & eodem modo quo ſuggeſtioni diabolicæ.

Addit iterum Ianſenius initium capitis 3. cuius iam finem produxerat; *Hinc prorſus, inquit, conſentaneè eidem illi libertati tradit libertatem arbitrij eſſe penitus immutabilem, nec in bonis augeri, nec in malis minui, ſed in omnibus parem perſiſtere. Sic*
Cap. 3. *enim loquitur in ipſo limine, Quid quæſo in homine ſublimius? Quid dignius inueniri poteſt? Quam illud, in quo ad imaginem Dei creatus eſt? habet ſanè libertas arbitrij imaginem non ſolum æternitatis, ſed diuinæ maieſtatis, quantum putamus in hac immutabili æternitate præ cæteris omnibus liberum arbitrium vicinius accedit, eiuſque in ſe imaginem expreſſius gerit, quod nulla vnquam culpa, nulla denium miſeria, non dicam deſtrui, ſed nec minui poterit.* Et
Cap. 13. iterum, paucis capitibus poſt: *Poteſtatem itaque promerendi peccando admittere potuit, libertatem,*

Digitized by Google

verò arbitrij, ſicut nunquam non habuit, ſic nunquam non habebit, quia numquam, vt ſuperius iam dictum eſt, qualicumque peccato vel pœna amitti vel minui poterit. Et rurſum: *Hæc itaque arbitrij libertas nec in bonis maior, nec in malis eſt minor, quæ nec per peccatum minuitur, nec per meritum augetur.* Quæ omnia quid Ianſenij ſententiam iuuent non video, imò enecant: ſi enim arbitrium hominis liberum nec augeri, nec minui poſſit, neceſſitas in illud poteſtatem nullam habet.

Addit Ianſenius, *Quia verò multos in intelligenda creati arbitrij libertate turbare ſolet; quod fide edocti, nos per peccatum boni volendi poteſtatem perdidiſſe ſciunt, libertatem præclarè cum iſta infirmitate conciliat, in quo labore crebrò inculcat, ideò humanum arbitrium eſſe liberum, quia coactionis expers & omni violentia indomitum. Sed quomodo, inquit, conueniunt tanta libertas cum tanta infirmitate, vel tanta infirmitas cum tanta libertate? profectò aliud eſt, eſſe liberum, aliud eſt eſſe robuſtum, & liber & infirmus eſſe poteſt, ſicut econtrà, & ſeruus eſſe poteſt, qui ſanus & robuſtus eſt, multa & magna facere poteſt, ſed qui liber eſt ad aliquid cogi niſi iniuſtè non poteſt, non autem arbitrium hominis idcircò liberum diximus, quia promptum habeat bonum, vel malum facere, ſed quia liberum habet* (Et ex Gloſſa Ianſenij, id eſt non cogitur) *Bono vel malo non conſentire; poſſe ſiquidem facere malum eſt infirmitatis, poſſe facere bonum eſt poteſta-* Ibidem cap. 12.

tis; neutrum autem libertatis; libertatis verò, quod conſenſus eius extorqueri vel cohiberi non poteſt. Ex quibus verbis, cum nihil colligi poſſit quod Ianſenij ſententiæ faueat, imò cum eam penitùs deſtruat, addit ſuam gloſſam & interpretationem, & explicat hominem habere liberum arbitrium promptum ad faciendum bonum vel malum, eſſe non poſſe cogi: Etiam ſi dicat Richardus, ideò liberum eſſe, quia bono vel malo conſentire vel diſſentire poteſt, quod tamen in ſequentibus verbis idem eſſe quod ſupra dixit inuitò extorqueri non poſſe, & ad confirmandam ſuam ſententiam producit eundem textum, quem nos antea ad infirmandam: *Poteſt enim conſentire vel non conſentire aſpirationi diuinæ; ſimiliter & ſuggeſtioni diabolicæ, vtrumque quidem ex poteſtate, neutrum oportet ex neceſſitate.* Quæ verba ſi Ianſenij ſententiam penitùs non deſtruant, dicat aliquis quomodo concinnatus eſſe deberet, vt lis clarè & apertis verbis iudicetur, & proferetur. Cum enim illi dicimus libertatem eſſe non poſſe vbi neceſſitas adeſt, contra dicit, vbi neceſſitas eſt, ibi maior libertas, cum illi objicimus Deum, qui potuit habere ſeruos qui illi ſeruirent neceſſariò, voluiſſe habere qui ſeruirent libere: dicit ideo magis ſeruire libere, quia neceſſariò. Cum illi proferimus textus, qui dicunt hominis arbitrium nulla vi, neque coactione, neque neceſſi-

Digitized by Google

tate teneri, dicit id eſſe intelligendum de neceſſitate, quæ per vim infertur. Si vrgemus quoſdam locos, qui tantum de neceſſitate loquuntur, dicit intelligendos non de neceſſitate ſimplici, ſed de ea, quæ per vim & coactionem fit. Si dicimus veram non eſſe libertatem, niſi eam, quæ ad vtrumlibet, vel ad indifferentia flecti poteſt, & quæ poteſt eligere bonum vel malum; contra dicit eam non eſſe verè liberam, niſi eam, quæ cum ratione bene eligit. Si dicimus libertatem hominis non eſſe talem, ſed oportere eſſe liberam ad vtrumlibet, vt poſſit mereri aut demereri; contra excipit de neceſſitate Dei, Chriſti, Angelorum & Beatorum hominum, qui ſunt liberi, etſi non poſſint peccare: cui licet reſpondeamus diſparem eſſe rationem, neque nos negare Deum omnino liberum ſummè bonum; & de quo plura iam nunc non eſt opus dicere: Sic Chriſtum Angelos & Beatos homines, quia non amplius ſunt in via, nec amplius eſt eis merendi, aut demerendi locus, cum ſint in patria ad quam tendimus; & confirmati in gratia, Nos verò ad id liberos, vt poſſimus bona vel mala amplecti, vitam aut mortem eligere, mereri aut demereri; Idcircò Deum nos in manu conſilij noſtri reliquiſſe, ſemper ille vult nos in hoc mundo eſſe Angelos vel diabolos vt qui bona faciunt, mala facere non poſſint; & qui mala, nunquam bona, vt qui boni iam confirmati in bonitate & iuſti-

Digitized by Google

tia, qui mali obſtinati in malitia. Quod contrarium dicere hîc Richardum aſſerimus, nec clarius ſe explicare potuiſſe, quàm dicendo hominem poſſe conſentire, vel non conſentire aſpirationi diuinæ, ſimiliter & ſuggeſtioni diabolicæ. Sed credo nec ille, nec alius quiſquam audebit dicere, hominem eſſe neceſſitatum conſentire ſuggeſtioni diabolicæ, ergo nec diuinæ: Quia Richardus dicit ſimiliter, quod eſt eodem modo; vnde ſi illud neceſſariò, ergo & illud neceſſarium eſt; Quod tamen Richardus neutrum fieri ex neceſſitate aſſerit, ſed hanc neceſſitatem Ianſenius iterum explicat ſuo modo: *Et quâ*, inquit, *quæſo neceſſitate, libertatis*, inquit, *eſt quod ad aliquid volendum cogi non poteſt, priuatio autem poteſtatis, quod ad aliquid boni faciendum ſufficiens non eſt:* Volens ſemper neceſſitatem illam non eſſe ſimplicem neceſſitatem, ſed eam tantùm, quæ vim infert; quaſi verò qui de neceſſitate ſimpliciter loquitur, non intelligat ſimplicem: Et Richardus non ſatis ſe explicet, dicendo illam nulli ſubjici poſſe, & illi liberum bono vel malo conſentire, & quædam nos habere in poteſtate, quædam in libertate, quædam in voluntate, quædam in neceſſitate; in neceſſitate autem habere eſſe, id cui etiam cum volueris reſiſtere, non vales, ergò ſi gratia neceſſitat, illi reſiſti non poteſt.

Cap. 3.

Cap. 33.

Addit tamen & iterum Ianſenius; *Et iſtud*

omnino

omnino ſibi velle Richardum conuincit, id quod inferius eandem ſententiam illuſtrans repetendo ſubijcit; Amiſit itaque poteſtatem primus homo, non autem libertatem, nam bonum poſſe, eſt verè poſſe; ſicut cogi non poſſe, eſt verè liberum eſſe: ſi enim ad bonum, ſeu ad malum ab alio cogi poſſet, iam omnino liber non eſſet; etſi bonum facere, vel malum declinare poſſet, non ſolum liber, ſed & potens eſſet. Cap. 20.

Poſt quæ verba ſic exclamat Ianſenius; *Nihil manifeſtius dici poſſet à Richardo, quo libertatem arbitrij in illa impatiente coactionis poteſtate conſtitueret. Notiſſimum eſt enim liberum arbitrium dæmonum ad malum eſſe obduratum, & beatorum Angelorum atque hominum ad bonum determinatum, ſed vtrumque citrà coactionis neceſſitatem.*

Vnde liquet Ianſenium vim tantum facere in eo verbo cogi, in his vis verbis, ab alio cogi, cui iam ſatisfecimus. *Quod autem addit de libero arbitrio dæmonum, & Angelorum, & hominum beatorum*, nihil eum iuuat; Quia aliud eſt illorum, aliud viatorum hominum arbitrium; liberum enim hominum arbitrium nunquam erit in hac vita integrum, & ſimile arbitrio Angelorum: Vt docet hîc Richardus cap. 21. & cap. 22. ex quo hæc tranſcribere libet; In futura autem „ vita poſtquam abſorpta fuerit mors in victoria, „ habebit non ſolũ ſtabilem, ſed etiam immobi- „ lem (ſupple gratiam.) Stabilem enim ante pec- „ catum gratiam habuit, quia ſemel acceptam

Digitized by Google

„ ſemper ſeruare potuit, ſed quod immobilem
„ non habuerit; Patet ex eo quod eam poſtmo-
„ dum amiſit, ſed tunc eam immobiliter poſſi-
„ debit, cum eam vlterius amittere non poterit,
„ nunc autem quamdiu in corpore peccati mor-
„ taliter viuimus, non dicam immobilem, ſed
„ nec ſtabilem habere poſſumus; ſæpè negligen-
„ tibus & torpentibus nobis, vltrò aufertur, &
„ ſæpè multis & magnis conatibus noſtris ſubi-
„ tò & inopinatè ſubtrahitur.

Addit iterum Ianſenius; *Notum etiam huiuſmodi determinationis immunitatem in bonis & malis augeri ac minui, prout plus minuſve gratia eriguntur, aut deſeruntur; Deus enim inclinat efficaciſſimè corda noſtra in teſtimonia ſua, ſicut pondus violentiſſimæ conſuetudinis in peccatum; Cum tamen Richardus ibidem dicat, quod ſæpius alijs verbis dixerat. Manet itaque infirmitas cum libertate, & libertas cum infirmitate, in tantum, vt neutra præiudicet alteri, nec infirmitas libertati, nec libertas infirmitati; quia nec infirmitas minuit libertatem, nec libertas aufert infirmitatem.* Ex quibus verbis licet nihil colligi poſſit, quod ad rem faciat, ſuam ſententiam tamen adjicit; *Ecce nec minui quidem in vllo ſentit arbitrij libertatem, per quamcumque peccati vel conſuetudinis infirmitatem: quod vſque adeò verum eſſe cenſet, vt ſi vel tantillum diminueretur arbitrium, non amplius dici poſſet liberum: Conſtat itaque (adijcit)*

Cap. 22.

Digitized by Google

quia hominis arbitrium liberum dici non poſsit, ſi vel ex parte libertatem amiſit. Quæ licet illi aduerſentur, vt illa in ſuum torqueat ſenſum, ſic concludit: *Quæ ſanè de libertate coactionis ſunt veriſsima*; Et nos fatemur, ſed etiam de ſimplici neceſſitate, de qua ibi tantum agitur, quod tamen non vult Ianſenius, & idcircò adjicit; *Ac de illa ſola ſibi ſermonem eſſe ſtatim docet, dum tantum ſentit abeſſe, vt homo libertatem amiſerit, vt potius adhuc poſsideat ſummam, & eius primum gradum ponit nulli coactioni ſubiacere, vt ex eius verbis ſupra citatis liquet, citans in margine cap.23.* Cap. 23. Omittens ſecundum gradum ex Richardo nulli ſubjici debere; tertium verò & ipſum ſummum nulli penitùs ſubjici poſſe.

Addit iterum Ianſenius; *Sed in alio quodam opere, quod de interioris hominis eruditione ſcripſit adhuc euidentius, ſi euidentius dici poteſt, eandem arbitrij libertatem, in coactionis immunitate conſtitutam eſſe, ac differentiam inter libertatem & poteſtatem tradit; Cum enim præmiſiſſet poteſtatem liberi arbitrij, videlicet ad bonum, non aliud eſſe niſi gratiam, tantumque nos habere potentiæ, quantum gratiæ, & illa pereunte, ſimul perire & potentiam*; Statim adijcit: *Patet itaque ex his, quod aliud eſt arbitrij poteſtas, atque aliud eſt arbitrij libertas; Aliud eſt enim magna poſſe, atque aliud eſt liberum eſſe, & liber & infirmus eſſe potes; ſicut è contrariò & ſanus & ſeruus eſſe potes, ſi ſanus & robuſtus, & multa & ma-*

Digitized by Google

gna facere potes; Veruntamen ſi liber es, ad nihil cogi potes vel debes; & ſi amittis ſanitatem, amittis protinus poteſtatem, non tamen & libertatem. Poteſtatis itaque eſt, quod bonum facere poſſumus, quandiù hîc facere valemus: libertatis autem, quod ad nullum ſeu bonum ſeu malum inuiti cogi poſſumus, quare multi in deffinitione liberi arbitrij errant, qui inter poteſtatem & libertatem diſtinguere ignorant, vel diſsimulant: Vide tamen quid interſit cum poteſtatem homo ſæpe amittat, libertatem verò nunquam amittere poſsit. Item; *Nemo ad omnia bona accipit poteſtatem, ſed omnis homo ad omnia bona vel mala accipit libertatem, nam vti dictum eſt, ad nullum bonum inuitus cogi poteſt.* Quem longum tractum textus ideò tantum producit vt probet, hominem inuitum cogi non poſſe; quaſi verò indè ſequatur eum neceſſitari poſſe: quam ſequelam falſam iam demonſtrauimus ex ipſo Richardo claris & diuerſis verbis, quæ repetere non eſt opus.

Addit iterum Ianſenius; *Quibus principijs congruentiſsimè Richardus, non aliter noſtri conſenſus libertatem explicuit, quàm quod ſit ſpontaneus & voluntarius, illud quippe ſpontaneum & voluntarium intelligit quod à Sancto Damaſceno ſupra definitum fuit, hoc eſt quod ex voluntate rationali, cum finis & omnium circonſtantiarum plena cognitione fuit. Quid eſt erit ſub te (appetitus) niſi ſub arbitrio tuo, eo quod quiuis appetitus in actum non prodeat ſine*

Lib. de ſtatu inter. hom. c. 2.

nutu ſpontaneo & voluntario; Et rurſum, *Nihil tamen horum omnium* (*ſcilicet appetitum*) *ad conatus ſui exit affectum, niſi ad liberi arbitrij nutum, voluntariumque conſenſum, principatur itaque omnibus liberi arbitrij vltroneus conſenſus.* Quæ omnia non poſſunt prodeſſe Ianſenio, niſi ſpontaneum, & voluntarium ſignificent neceſſarium; quod cum falſum ſit, contra ſe edidit. Cætera quæ addit Ianſenius ex ante dictis ſatis confutantur. Ibidem cap. 6.

Refutatio Cap. 20.

POST Richardum à Sancto Victore Ianſenius Magiſtrum Sententiarum tanquam ſibi fauentem producit, his verbis; *Si diligenter inſpiciatur, videbitur dici arbitrium, quia ſine coactione & neceßitate valet appetere vel diligere quod ex ratione decreuerit*; Quem locum ideo tantum producit, quia coactionis fit mentio, diſſimulans Magiſtrum Sententiarum cum ea coniungere etiam neceſſitatem: quiquidem Magiſter Sententiarum in eadem diſtinctione littera A, ſic definit liberum arbitrium, vt ſit poteſtas & ipſa habilitas voluntatis & rationis, libera ad vtrumlibet, quia liberè poteſt moueri ad hoc vel ad illud. Liberum ergo (adjicit) dicitur arbitrium, quia voluntariè moueri & ſpontaneo appetitu ferri poteſt, ad ea, quæ bona vel mala iudicat, vel iudicare poteſt; Et diſtinctione 24. 2. Parte diſtinct. 25.

Digitized by Google

præcedente littera E, definit liberum arbi-
„ trium eſſe facultatem rationis & volũtatis, qua
„ bonum eligitur, gratia aſſiſtente, vel malum
„ eadem deſiſtente: & dicitur liberum quantum
„ ad voluntatem, quæ ad vtrumlibet flecti po-
teſt. Et in diſtinctione 25. littera C, dicit in
„ his tantum videri eſſe liberum arbitrium, quia
„ voluntatem mutare, & in contrarium poſſunt
„ deflectere, in quorum videlicet poteſtate eſt
„ eligere bonum vel malum, & vtrumlibet ſe-
„ cundum electionem facere vel dimittere: Vnde quilibet poteſt colligere gratiam, non determinare voluntatem ad vnum, nec prohibere, quin homo liberè eam ſequatur, vel ei non obtemperet.

Inſtat tamen Ianſenius; *Ne quis verò ſcriptorum recentiorum falleretur, qui neceßitatis nomen longè aliter quàm ipſi accipere ſolent, omnem ambiguitatis nebulam abſtergit id quod explicando ſubijcit, à neceßitate & ante peccatum & poſt æquè liberum eſt arbitrium. Ecce verba Sancti Bernardi; Sicut enim tunc cogi non poterat iam nec modo, & rurſum, item repetendo inculcans, Itaque voluntas merito apud Deum iudicatur, quæ ſemper à neceßitate libera eſt, & nunquam cogi poteſt.*

Quod certè nullo modo inſeruit Ianſenij ſententiæ, Magiſter enim Sententiarum cum dicit liberum eſſe arbitrium hominis à neceſſitate ante & poſt peccatum, non dicit à coactione, ſed

à neceſſitate, & ante peccatum homo non obſequebatur neceſſariò gratiæ, ita ergo nec poſt. Nec magis iuuat Ianſenium quod addit; Sicut homo ante peccatum cogi non poterat, ita nec poſt, quia ſicut cogi, ſic neceſſitari non poterat; Quod etiam explicat Magiſter Sententiarum in
» verbis ſequentibus, dicendo, voluntatem ſem-
» per à neceſſitate eſſe liberam, addendo etiam
» hæc verba, Vbi neceſſitas, ibi non eſt libertas, vbi non eſt libertas, nec voluntas, & ideò nec meritum.

Quæ addit Ianſenius refutatione opus non habent, quia ſuo loco refutabuntur.

Addit Ianſenius; *Hinc eſt igitur quod conſequenter iſti principio Magiſter apertiſſimè voluntarium & ſpontaneum, liberum atque voluntarium in rationali creatura confundit; imò idcirco liberum eſſe tradit, quia voluntario ſpontaneóque modo fertur in obiectum ſuum. Liberum ergo dicitur arbitrium quantum ad voluntatem, quia voluntariè moueri & ſpontaneo appetitu ferri ad ea poteſt, quæ bona vel mala iudicat, vel iudicare velit: hinc eſt quod hoc ipſo quo libertas arbitrij tollitur, etiam voluntatem tolli doceat, vbi neceſſitas (qua dixerat cogi non poſſe voluntatem) ibi non eſt libertas; vbi non eſt libertas, nec voluntas. Quæ doctrina ſicut & verba ex Sancto Bernardo ſumpta ſunt; ſi neceſſitas pro ſimplici firmaque ipſius voluntatis determinatione capiatur, cum nunquam ſit magis voluntas,*

Digitized by Google

hoc eſt nunquam magis aliquid velit, quàm cum ita firmiter vult, vt nolle non poßit. Cui reſpondeo, veriſſima eſſe illa verba ex Sancto Bernardo ſumpta; Neceſſitas enim eſt cauſa determinans voluntatem, ſi voluntas neceſſariò illi obſequitur, nec in ea ſitum ſit, illam non reſpuere, Nec obſtat quod voluntas ſit magis voluntas, cum aliquid magis vult, quod non fit, niſi poſtquam deliberauerit, & elegerit: Deliberatio autem & electio penitùs tollitur, vbi neceſſitas adeſt: fruſtrà enim quis deliberabit & eliget, ſi animus in vnam partem ita neceſſariò fertur, vt in contrarium ferri non poſſit.

Addit iterum Ianſenius, *Hinc ex eodem principio allegatiſque Auguſtini verbis, quibus dixerat, beatorum arbitrium eſſe liberum, longéque liberius, cum peccare non poteſt, conſequenter docet, idcircò eſſe liberius, quia ad bonum pronius, hoc eſt quia longè firmiori, imò immutabili voluntate diligit bonum: Quemadmodum Auguſtini mentem in ſuppradictis expoſuimus. Ecce his verbis, Auguſtini, euidenter aſtruitur, quod poſt beatitudinis confirmationem, erit in homine liberum arbitrium quo peccare non poterit, & nunc in Angelis eſt, & in Sanctis qui cum Domino ſunt, & tanto vtique liberius, quantò à peccatis immunius, & ad bonum pronius.* Et mox illa verba ſubiungit; *Quod idcircò dicitur liberum arbitrium, quia ſine coactione & neceßitate valent appetere, vel intelligere, quod ex*

ratione

ratione decreuerit, quæ veriſsimam aptiſsimamque illationem & rationem contineat pronitatis illius quam præmiſerat, ad indifferentiam verò nihil prorſus faciunt. Iſtum verò genuinum eſſe Magiſtri ſenſum, cum tota contextus & rerum rationumque eius conſonantia, ita prorſus clamant, vt non niſi obtorto collo, imò gloſsis textui apertè repugnantibus aliò torqueri queant; Tum omnes veteres eius interpretes confitentur, vt mox oſtenſuri ſumus.
Nos verò contrarium oſtenſuri ſumus, & nunc textui ex Magiſtro Sententiarum allato reſpondemus, nos non negare poſt beatitudinem hominis, liberum eius arbitrium ita confirmatum forè in gratia, vt amplius peccare non poſſit, vt nunc eſt in Angelis & in ſanctis qui cum Domino ſunt, tantoque liberius futurum, quanto à peccato immunius & ad bonum pronius. Neque enim ex hoc voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, qua beati ſic eſſe volumus, vt eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus. Sicut ergo anima noſtra nunc habet nolle infœlicitatem, ita nolle iniquitatem ſemper habitura eſt, nempè poſtquam beatitudinem aſſequuta fuerit. Sed ordo ſeruandus fuit, quo Deus voluit oſtendere quàm bonum ſit animal rationale, quod etiam peccare poſſit, quamuis melius ſit quod peccare non poſſit, vt dicit in eodem loco Magiſter & ex Sancto Auguſtino, ſicque corruit omnis

Ianſenij ratiocinatio. Neque illum iuuat quod addit & iam dixit; *Liberum arbitrium dici, quod ſine coactione & neceſſitate valet appetere vel intelligere, quod ex ratione decreuerit.* Hic enim Magiſter de libero arbitrio Angelorum, & Beatorum hominum loquitur, qui tamen non tantum à coactione, ſed & à neceſſitate liberi erunt: nec mirum ſi de indifferentia nulla verba facit, quia Angeli & beati homines non indifferenter ſe habent ad bonum vel malum, ſed ita ſunt confirmati in gratia, vt bonum tantum neceſſariò & tamen liberè eligant, nec enim iam præmium expectant, nec pœnam timent, homines verò dum ſunt in via, & præmium quærunt, & pœnas verentur, huncque eſſe genuinum Magiſtri ſenſum, cum tota contextus & rerum rationumque eius conſonantia ita prorſus clamant, vt non niſi obtorto collo, imò gloſſis textui apertè repugnantibus aliò torqueri queant, vt iam non per gloſſas, ſed per textus apertos & claros, & per deffinitiones liberi arbitrij ex eo allatas demonſtrauimus, demonſtrabimuſque omnes veteres eius interpretes nunquam aliter intendiſſe & explicaſſe.

Lib. 2. diſtinct. 7.

Addit tamen iterum Ianſenius; *Hanc itaque ſententiam ſuam de libertate arbitrij ſpectauit, & melius explicuit idem Magiſter diſtinctione ſeptima, vbi rationem reddens, cur Angeli mali & boni liberi ſint, quamuis illi bene agere, iſti peccare non poſſint;*

Dicimus, inquit, quod boni tanta gratia confirmati ſint, vt nequeant fieri mali; & mali adeo obſtinati ſint, vt non valeant fieri boni; Et tamen vtrique habent liberum arbitrium, quia & boni non aliqua cogente neceſſitate, ſed propria & ſpontanea voluntate per gratiam quidem adiuti bonum eligunt, & malum reſpuunt, & mali ſimiliter ſpontanea voluntate à gratia deſtituti bonum vitant, & malum ſequuntur. Vnde Ianſenius ſic concludit: *Nihil euidentius ad explicandam plene ſententiam Magiſter proferre potuiſſet, quem propterea in iſto eodem ſenſu plerique veteres interpretes ſequuti ſunt.* Quod quàm ſit ridiculum nemo non videt. Primò enim hîc agitur de Angelis in gratia iam confirmatis, non de hominibus viatoribus, quorum liberum arbitrium toties differre demonſtrauimus ex eodem Magiſtro, qui quidem etiam id hîc diſertè explicat; Dicit enim ſolo Deo excepto,cæteros,cum ſint liberi arbitrij,in vtramque partem flecti poſſe; Vnde ſibi obijciens, ergo & Angelos ad bonum vel malum flecti poſſe, reſpondet quod tranſcripſit Ianſenius, ideò hoc non fieri, quia boni Angeli in gratia confirmati ſunt, & mali in malitia obdurati.

Vnde apparet Ianſenium non eſſe bonæ fidei, qui reticet ea, quæ ſibi nocent, & deſtruunt quod producit. Ac ne fortè quis dubitet de mea interpretatione, adeat Magiſtrum in eodem loco littera C, ſubſequente, & audiet illum

Digitized by Google

„ ſic loquentem. Ante gratiæ namque confir-
„ mationem potuere peccare Angeli, & qui-
„ dam etiam peccauerunt & Dæmones facti
„ ſunt; Vnde Auguſtinus in libro contra Maxi-
Lib.3. c.13. tomo 6. „ mum. Creaturarum natura cœleſtium mori
„ potuit, quia peccare potuit, nam Angeli
„ peccauerunt & Dæmones facti ſunt, quorum
„ Diabolus eſt Princeps, & qui non peccaue-
„ uerunt, peccare potuerunt, & cuicumque
„ creaturæ rationali præſtatur, vt peccare non
„ poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei
„ gratiæ, &c.

Vrget tamen Ianſenius, & cum ſe nihil probaſſe cenſeat; vult quæ dixit, probata eſſe cenſeri; & cum aliud verba ſonent, vult ea in ſuo ſenſu eſſe intelligenda ſic loquens; *Neque quicquam ad illam ſententiam reprobandam facit, quod in eadem diſtinctione dicit, liberum arbitrium eſſe liberum ad vtrumlibet, videlicet bonum aut malum, ſicut eum hoc intelligere tum ibidem tum ex diſtinctione 24. certum eſt, hoc enim & Auguſtinus & Bernardus & Damaſcenus creberrimè dicunt, & ſine fidei læſione negari nequit:* Vnde ego concludo contra Ianſenium eum fidem lædere, qui docet arbitrium hominis non eſſe liberum ad vtrumlibet, licet Patres contrarium aſſerant.

Subſequens autem Ianſenij explicatio eſt abſolutè falſa, quam ſic addit. *Sed alio longe ſenſu quàm Scholaſtici putant, hoc intelligunt, & in Deo,*

Digitized by Google

Angelis, tam damnatis quàm beatis non habere locum nemo dubitat : Et Magiſter in eadem illa diſtinctione profitetur. Hoc quidem eſt verum, ſed inde eruunt Patres,longe diuerſum eſſe arbitrium horum,ab arbitrio hominum : illi enim in gratia confirmati habent arbitrium determinatum in bonum, & ideò multo liberius, cum in vtrumlibet ferri non poſſint: hominum autem arbitrium nondum in gratia confirmatum, in vtramque partem ſe flectere poteſt ; poſſunt enim homines eligere bonum vel malum, necdum eorum arbitrium eſt determinatum ad vnum, ſiue bonum, ſiue malum.

Perſequitur Ianſenius ; *Multo minus ad propoſitum facit, id quod Magiſter dicit, Ea tantum ſub poteſtate liberi arbitrij venire, quæ per liberum arbitrium poſſunt fieri, vel non fieri ; quis enim ea de re dubitauerit?* Dubitat Ianſenius, quia ſi per liberum arbitrium poſſunt fieri vel non fieri, ſequitur neceſſariò voluntatem hominis non eſſe determinatam ad vnum.

Addit Ianſenius, *Sed inter ea, quæ à libero arbitrio poſſunt fieri vel non fieri, in primis eſt ipſum velle, ſiue firmiter & obſtinatè, ſiue hæſitanter velit*, quod vltrò fatemur.

Perſequitur Ianſenius, *Per illa quippè verba nihil aliud voluit, quàm quod Auguſtinus ſæpè ac diſertè explicuit, ea ſub liberum arbitrium venire, quæ ſunt in noſtra poteſtate.*

Digitized by Google

Addo ego multa etiam ſub liberum arbitrium venire, quæ non ſunt in noſtra poteſtate illa agere, ſed tamen velle; ſic verbi gratia, Multi vellent eſſe Reges, qui tamen non poſſunt.

Lib. 5. de Ciuitate, cap. 10.

Perſequitur Ianſenius, *Hoc eſt, quæ fiunt cum voluerimus, & ait in libris de Ciuitate, quæ ſi nollemus non vtique faceremus, quo primitus, inquit, pertinet & ipſum velle: nam ſi volumus, eſt, ſi nolumus, non eſt*; Quem locum Sancti Auguſtini ſemper repetit & inculcat, licet ſibi magnoperè aduerſetur: inde enim ſequitur nos poſſe velle amplecti gratiam, vel nolle; Ergo voluntas noſtra non eſt neceſſariò determinata ad vnum.

Addit Ianſenius, *Quod de omni omnino voluntate, ſiue noſtra, ſiue beatorum, ſiue damnatorum verum eſt.* Etſi verò hoc parum inſeruiat Ianſenio, certum eſt tamen eo loci Sanctum Auguſtinum tantum agere de voluntate hominum, à qua excludit neceſſitatem.

Addit Ianſenius, *Hoc enim Magiſtrum velle ex verbis mox ſubiectis liquet: ſi quis enim tale quod velit & diſponat facere, quod in eius nullatenus ſit poteſtate, vel quod ſine ipſius diſpoſitione æquè fieret, id eſt quod æque fieret etiamſi nollet, cuiuſcunque violentiæ poteſtatis, ipſe in hoc liberum arbitrium non habet, quo nihil verius, & Auguſtino Bernardoque conformius, cogitari poteſt*; Adde nec inutilius Ianſenio qui perſequitur. *Hinc eſt igitur quod Magiſter hîc in eadem diſtinctione 25.*

Digitized by Google

repetat, arbitrium in bonis & malis, & ante & poſt peccatum æque liberum eſſe. Quam ſententiam mutuatus eſt à Bernardo, qui non aliam quàm libertatem à neceßitate coactionis intelligit, vt ſupra vidimus, neque iuxta Scholaſticos antiquos, qui Bernardum citauerunt & ſequuti ſunt, ipſamque rerum euidentiam aliter intelligi potuit. Cui diſcurſui non eſt aliud reſpondendum, quàm illum eſſe falſum. Iam enim refutauimus per eoſdem auctores, quos Ianſenius protulit ad ſuam ſententiam confirmandam, demonſtrando illos omnem neceſſitatem excludere, quæ prohibet voluntatem ſe flectere in vtramque partem, & illam determinando ad vnum, aufert illi libertatem electionis, & illam facit eligere vnum neceſſariò.

Quæ reſtant ex hoc capite ſunt tantum inutilia verba Ianſenij, quæ cum nihil aſſerant, refutatione opus non habent.

Refutatio Cap. 21.

POST Magiſtrum Sententiarum Ianſenius producit Alexandrum de Hales, quem dicit tantà luce, firmitate, fiducia, ſuam doctrinam tradidiſſe, vt contraria tunc temporis prorſus inaudita fuiſſe videatur; *Itaque*, inquit, *ſecunda parte Summæ quæſt. 72. ſic loquitur, Ad primum dicendum quod eſt triplex libertas, ſcilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Libertas naturæ libera*

Alexandr. Halenſis, 2. p. q. 72. Memb. 2. art. 2. ad 1. in editione antiquiſſima.

eſt à coactione, libertas gratiæ à culpa. Quando ergo dicitur quod ſeparatum auget, & additum minuit, non eſt pars illius, non intelligitur de libertate naturæ, quia illa non poteſt augeri, nec minui. (Bernardus ſicut in bono, ita & in malo æquè perdurat voluntas) ſed dicitur reſpectu eius quod eſt à culpa & à miſeria: Et articulo 3. Membri ſecundi; Reſpondeo, inquit, *quod liberum arbitrium tripliciter conſideratur, vno modo ſecundum quod non cogitur, & hoc modo dicitur liberum, quia eſt indifferenter boni & mali.*

Art. 3. Membri 2.

Eadem quæſt. 72. in prima reſolutione.

Hos locos tantum producit Ianſenius, quia ibi dicit Halenſis libertatem naturæ eſſe liberam à coactione, & liberum arbitrium conſiderari vno modo ſecundum quod non cogitur; cui reſpondeo, Halenſem ſub nomine coactionis comprehendiſſe etiam neceſſitatem, quia dicit liberum arbitrium eſſe, ſecundum quod eſt flexibile ad bonum vel malum, quod certè non eſſet ſi determinaretur neceſſariò à gratia, quæ gratia eſt agens externum, quod neceſſitatem induceret arbitrio hominis: Secundò ſi gratia neceſſitatem induceret voluntati, non iam eſſet voluntas libera; Vt ex Bernardo refert Halenſis paragrapho tertio, & arbitrium ita eſt liberum inter ſenſum mentis, & ſenſum carnis ſiue appetitum, aliquando enim cõſentit in id quod dictat, ſenſus mentis, aliquando in id quod ſenſus carnis; & idcircò æquè dicitur ſe habere ad vtrumque

que, quod etiam ſatis explicat Halenſis in loco poſtremo allato à Ianſenio, cum dicit arbitrium idcircò liberum, quia indifferenter ſe habet ad bonum & malum, quod etiam clarius explicat in ſolutione paragraphi quarti, quod in nobis eſt conſentire Deo vel non conſentire, ad quod allegat quod dicitur in Eccleſiaſt. 31. qui potuit facere mala & non fecit.

Addit Ianſenius, *Quod ſtatim iterum repetit: Illæ authoritates, inquit, quæ concludunt, quod liberum arbitrium eſt indifferenter boni & mali, intelliguntur de libero arbitrio ſecundum naturam illam, ſecundum quam non cogitur.* Cui textui eadem quæ ſuperius ſolutio competit, id eſt, non modo non cogitur, ſed nec neceſſitatur, quia gratia Dei mouet quidem voluntatem ad bonum, & aduerſarius diabolus ad malum, ſed conſentire aut diſſentire, liberi arbitrij eſt, & in voluntate hominis poſitum; Quod manifeſtè declarat idem Halenſis in reſolutione » ad paragraphum primum his verbis. Conſen- » ſus autem dicitur reſpectu mouentis, aut enim » mouetur à Deo ad bonum, aut ab aduerſario » ſcilicet diabolo; Ex hoc ergo quod huic vel » huic conſentit, conſenſus dicitur; Ergo hic conſenſus nec ex coactione nec ex neceſſitate procedit, ſed ex arbitrio hominis ad vtrumlibet libero.

Addit Ianſenius; *Et eodem art. 3. quo quæritur*

Digitized by Google

à qua libertate liberum arbitrium nomen ſortiatur, an à libertate naturæ ſeu coactionis, an gratiæ, an gloriæ, ſic reſoluit. Libertas aliquando dicitur habitus naturalis, aliquando accidentalis, ſecundum verò quod libertas dicitur habitus naturalis rationalis naturæ, quæ cogi non poteſt, non recipit maius & minus, ſed æquè eſt in omnibus rationalibus creaturis: Vnde Bernardus dicit, Libertas à neceſſitate Deo & vniuerſæ creaturæ rationali indifferenter conuenit; Nec magis bonæ quàm malæ, &c. Et ſecundum quod libertas, ſic dicitur liberum arbitrium, dicitur liberum principaliter ratione libertatis naturæ, ſecundum verò quod libertas eſt habitus accidentalis, ſic eſt liberum arbitrium diminuibile, vel etiam amiſſibile, & recipit maius & minus.

Reſpondeo, huic loco eadem competit ſolutio quæ ſuperioribus, ideò enim tantum producitur à Ianſenio, quia ibi dicitur libertatem non cogi, quod non negamus, ſed addimus nec neceſſitari. Quod Halenſis ſatis apertè declarat, dum dicit libertatem à neceſſitate conuenire indifferenter Deo & vniuerſæ creaturæ rationali, quod etiam docet in reſolutione ad paragraphum 4. vbi explicat rationem quare dicitur liberum arbitrium, non liberum iudicium, Et » ideò ſic vocari dicit, quia iudex in iudicando » debet ſequi leges, & arctatur ad ſequendum » illas, arbitri autem non eſt ſecundum impe- » rium definire ſicut iudicis. Vnde dicendum

Digitized by Google

„ quod liberum arbitrium habet in ſe officium „ iudicis quo ad rationem, quia inquantum „ deliberat, debet ſequi leges, ſed inquantum „ eligit vt vult, tenet formam arbitri, hoc enim „ ad voluntatem pertinet: Vnde liquet hominem nulla coactione nec neceſſitate prohiberi, quin liberè eligat quod vult, & ſic voluntas eius nullo modo ſiue coactione ſiue neceſſitate determinatur ad vnum.

Addit Ianſenius; & in alio loco eiuſdem quæſtionis: *Liberum arbitrium eſt commune homini & Angelo bono & malo, Bernardus. Libertas à neceſſitate, id eſt coactione, non maior eſt in iuſto quàm in peccatore, nec plenior in Angelo quàm in homine, & iterum Diabolus liberè corruit in malum, & perſiſtit ſuo voluntario motu non libero impulſu.* Memb. 3. art. 3.

Reſpondeo, liberum arbitrium eſſe quidem commune homini & Angelo bono & malo, ſed tamen differens & propter differentiam Halenſis tractat hanc quæſtionem. Videbatur enim non eſſe commune propter rationes quas adfert in articulo 3. ante reſolutionem. Primò ex Bernardo, vbi neceſſitas, non eſt libertas, ſed in Angelis eſt neceſſitas, in bonis ab bonum, & in malis ad malum, vnde concludebatur liberum arbitrium non eſſe commune homini & Angelo, cum in homine ſit flexibilitas ad vtrumque, quod non eſt in Angelo: vbi notandum quod non Angelos cogi ad malum ſiue ad bo-

num dicit, ſed neceſſitari, ergo coactio nec neceſſitas eſt in homine cum poſſit flecti ad vtrumque. Præterea liberi arbitrij eſt conſiliari, ſed omnis conſilians, ſicut dicit Damaſcenus, conſiliatur tanquam electione actibilium ente in ſe ipſo, vt quod præiudicatum eſt, ex conſilio eligat, & agens agat; quod non eſt in Dæmone, iudicat enim bonum, & nihilominus eligit malum.

Tertiò quia liberum arbitrium eſt poteſtas conſeruandi rectitudinem, ſed poteſtas otioſa eſt, vbi nunquam poteſt elici actus; Sed conſeruare rectitudinem, nunquam poteſt elici à Diabolo; Ergo poteſtas eſt otioſa: ſed nihil eſt otioſum in vniuerſo, ergo cum liberum arbitrium ſit poteſtas, non erit commune homini & Angelis malis. Quibus argumentis potentiſſimis nihil aliud reſpondet, niſi quia ab initio Angeli ſiue boni ſiue mali habuerunt liberum arbitrium flexibile ad vtrumque, vt homines, & quod ſemel eſt in aliquo naturaliter, ſemper remanet in eo: ex quibus ſatis & abundè liquet, eſſe in homine flexibilitatem ad vtrumque, in Angelis ſiue bonis ſiue malis adeſſe neceſſitatem, bonis ad bonum, malis ad malum: Quæ neceſſitas non adeſt homini, in quo etiam eſt electio rerum agendarum, adeſt conſilium ad eligendum, poteſt conſeruare aut non conſeruare rectitudinem, his non obſtat quod diabolus per-

Digitized by Google

ſiſtit ſuo voluntario motu non alieno impulſu in malum, vt Angeli boni in bonum, quia hi confirmati ſunt in gratia, illi obdurati in malitia.

Addit Ianſenius; *Reſolutionem autem iſtam probauit ibi hoc argumento, Vbi eſt coactio non eſt ibi laus nec vituperatio: ſed in malis Angelis vel bonis eſt laus vel vituperatio, quia boni Angeli laudantur, mali vituperantur, ergo non eſt in eis coactio, ergo eſt in eis liberum arbitrium.* Vnde ſic concludit: *In quo verò maior eſt laus vel vituperatio Angelorum, niſi in eo quod alij in malo quod elegerunt, hoc eſt amore ſui, alij in amore Dei immobiles & perpetuò perſeuerant.*

Reſpondeo verum eſſe quod hîc dicit Ianſenius, ſed illi aduerſatur, cum enim Angeli boni bonum elegerunt, & Angeli mali malum, tunc habuerunt liberum arbitrium flexibile ad vtrumque, & qui benè elegerunt in perpetuum laudantur, qui mali in perpetuum vituperantur.

Addit Ianſenius; *Et quia ſibi locum Bernardi obiecerat dicentis, Vbi eſt neceſſitas non eſt libertas, ita pergit: Ad obiecta autem in contrarium dicendum eſt, quod eſt duplex neceſſitas ineuitabilitatis & coactionis, neceſſitas coactionis tollit liberum arbitrium, ſed non neceſſitas ineuitabilitatis, licet ergo in Angelis ſit neceſſitas ineuitabilitatis, nihilominus tamen liberum arbitrium. Vnde Bernardus, quod diabolus non poteſt bonum, non eſt ex aliena oppreſſione, ſed ex voluntaria obſtinatione, & obſtinata*

voluntate. Quæ quidem cum vera ſint, penitùs deſtruunt Ianſenij ſententiam, quia hæc neceſſitas ineuitabilis non tollit quidem liberum arbitrium in Angelis ſiue bonis ſiue malis, quia iam indicati, hi in gratia confirmati, illi in malitia obſtinati: ſed in hominibus, ſi adeſſet neceſſitas ineuitabilitatis, penitùs ſublata eſſet poſſibilitas eligendi, deliberandi, & agendi. Ad quid enim electio, ſi neceſſariò & ineuitabiliter vnum eſſet eligendum? quod enim eligeretur, non ex voluntate in vtramque partem flexibili, ſed ex aliena nempè neceſſitatis oppreſſione eligeretur.

Addit Ianſenius, *Et mox docet hoc quod dæmones non poſſunt eligere bonum, non priuari libertate voluntatis; imò eam magis oſtendi, ſed tantum libertate gratiæ.* Et addit; *Licet ratio liberi arbitrij quam ponit Auguſtinus, non conueniat, quoad hoc quod dicitur (qua bonum eligitur) conuenit tamen ratione reliquæ partis, bonis verò Angelis ratione primæ partis.* Quod certè nihil ad rem facit, licet enim Angeli boni ſiue mali non poſſint amplius eligere propter rationes tam ſæpè repetitas, tamen quia ſemel habuerunt liberum arbitrium, ſemper retinent.

Addit Ianſenius, *Et articulo 4. in quo quæritur, an liberum arbitrium in omni ſtatu innocentiæ culpæ & gratiæ, commune fuerit homini? ſic reſpondet; Dicendum eſt, quod liberum arbitrium commu-*

Digitized by Google

ne eſt in his ſtatibus , nec eſt contrarium quod obiectum eſt, quia illa prima ratio libertatis , eſt propria ſecundum ſtatum innocentiæ , & non dicitur illa libertas naturæ,qua homo dicitur liber à coactione.

Hunc locum tantum producit Ianſenius vt probet liberum hominis arbitrium eſſe liberum à coactione tantum, non autem à neceſſitate: Quod certè non ſequitur, liberum eſt à coactione, ergo non à neceſſitate, imo liberum eſt à neceſſitate , ergo & à coactione: quamuis in quæſtione de qua agitur, neceſſitas & coactio confundantur; quin imo Halenſi coactio videtur aliquid minus quàm neceſſitas ineuitabilis, coactionem enim à qua liberum arbitrium dicitur immune , vocat ſimplicem compulſionem , & ad hoc allegat 14. Lucæ, Compelle eos intrare, nullus autem intrat niſi habens liberum arbitrium , vnde cogi videtur. Addit etiam illud Pauli, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati , vnde videtur arguere quod cogatur voluntas. Præterea qui timore mortis vel pœnarum inducuntur ad negandum Chriſtum , cogi dicuntur ; Vnde Beatus Bernardus loquens de Petro dicit , Fatendum eſt hominem fuiſſe compulſum, oluntatem propriam & ſi non mutare,occultare tamen, vnde inquit videtur liberum arbitrium hominis cogi poſſe: quibus reſpondet, duplicem eſſe

Digitized by Google

compulſionem, paſſiuam & actiuam: Paſſiua poteſt fieri ſine voluntario conſenſu patientis, cuius principium eſt exterius, eo nihil conferente qui patitur, ſi verò violentia reſpicit agere mixtum ex interiori & exteriori, Non eſt compulſio ſimpliciter, nec inuoluntarium ſimpliciter, ſed mixtum inuoluntariò, & hoc modo poteſt eſſe compulſio ad bonũ vel ad malũ, & ſic poteſt eſſe meritorium, vel demeritorium: compulſio ergo illa, de qua Dominus dicit, Compelle intrare, habet de voluntario ad bonum, ratione cuius dicitur demeritorium. Bernardus hoc intendit, Deus cum terret, aut percutit, vt faciat voluntarios, non ſaluet inuitos, quatenùs dum de malo in bonum, mutet voluntatem, transferat libertatem: Eſt alia compulſio quædam actiua, quæ non habet excuſationem cum ſit voluntaria. Cogebatur Chriſtianus negare & dolens, ſed tamen non niſi volens, volebat enim gladium vitare ferientis, atque illa voluntas intus præſidens, os aperiebat, non gladius qui foris apparebat; Sicut enim dicit Philoſophus quædam ſunt ad quæ nullatenùs homo cogi debet: ſi verò compulſio dicatur reſpectu actus interioris; nullatenus dicendum eſt quod liberum arbitrium reſpectu actus interioris, omninò coactionem recipiat; multo minus ergo neceſſitatem, cum hæc coactio ſimplex ſit compulſio, cui parere vel inobedire ſemper eſt

ſitum

ſitum in hominis libero arbitrio: Et proinde multo minus neceſſitatem, quæ ab agente extraneo illi infertur.

Addit Ianſenius; *Et rurſum in Chriſto qui peccare non poterat, ſic liberum arbitrium ſtatuit, vt fuerit in illo electio, prout eligere dicitur, deffinire, ſeu determinare inter aliqua duo, non prout eſt determinatio rei dubiæ, quomodo & conſilium ab eo abeſt: ac tandem adijcit, Quod verò dicitur quod Chriſtus non potuit peccare, hoc dicitur ratione gratiæ, vnde libertas naturæ, quæ eſt à coactione, communis fuit Chriſto, & alijs hominibus.* Quæ omnia libens admitto & ex his contra Ianſenium argumentor: Chriſtus commune habuit cum hominibus, vt liber eſſet non tantum à coactione, ſed etiam à neceſſitate, quod credo, nec quiſquam alius negabit; ergo etiam homines habent commune cum Chriſto, vt ſint liberi à coactione & à neceſſitate.

Addit Ianſenius; *Et iterum membro 4. cum quæreretur, an æqualiter ſit liberum arbitrium in omnibus in quibus reperitur, quæſtionem ſic determinat: Liberum arbitrium in hoc æquè dicitur de quibus dicitur, quod in nullo cogitur; licet enim Deus de ſua natura poßit facere quod vult, non tamen cogit voluntatem, ſed eam liberam eſſe permittit: Secundum hoc ergo quod æque dicitur, contra magis & minus liberum arbitrium à ſeruitute naturæ, dicitur de omnibus ſubſtantijs æquè.* Membr. 4.

Cui reſpondeo ſub nomine coactionis comprehendi neceſſitatem; vt ipſe Halenſis probat ex Sancto Bernardo, & ita clarè & ſine ambagibus, vt de eo nemo poſſit ambigere; Dicit enim libertatem à neceſſitate æquè & indifferenter cõuenire Deo, & vniuerſæ rationali creaturæ, his » verbis: Contra Bernardus, Libertas à neceſſi- » tate æquè & indifferenter Deo vniuerſæque » creaturæ rationali conuenit, &c.

Addit Ianſenius, *Ne quis verò ſcrupulus remaneret Lectori, quam coactionem intelligeret, de qua tota illa quæſtione loquutus erat cum diſtinxiſſet; ſicut Bernardus, coactionem paſſiuam, quæ poteſt fieri abſque voluntario conſenſu facientis, ab actiua, quæ eſt reſpectu actus mixti, tandem adijcit de coactione reſpectu actus interni. Si verò compulſio dicatur reſpectu actus interioris, nullatenus dicendum eſt, quod liberum arbitrium reſpectu actus interioris, omninò coactionem recipiat; & ideò dicitur ſimpliciter liberum arbitrium à coactione.* Quibus etſi iam reſponderimus, iterum repeto, Halenſem coactionem illam, quam tam magni facit Ianſenius, vocare ſimplicem compulſionem, quæ nec coactionem vllam, nec neceſſitatem imponit arbitrio, ſed tantum compellit: hoc enim tantum intendit Deus, cum terret aut percutit, vt faciat voluntarios, non ſeruet inuitos; Vnde ſequitur arbitrium hominum non cogi, non neceſſitari, non determinari ad vnum, non tolli

Membr. 4. paragrapho primo.

Digitized by Google

ab illis electionem, deliberationem, Conſilium, voluntatem ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia liberam.

Addit Ianſenius, *Iuxta hæc principia idem Halenſis non vveretur illam libertatem arbitrij vvocare quaſi eſſentialem, ad tertiò obiectum dicendum eſt, quod in omni ſtatu, liberum arbitrium æqualiter dicitur, quantum eſt de libertate à coactione, quæ vocatur quaſi eſſentialis libertas, non tamen æquè dicitur libertas inquantum ordinatur ad gratiam, ſecundum hoc enim dicitur ſecundum magis & minus.* Membr.4. Cui iam ſatisfecimus probando per eundem ipſum Halenſem, coactionem, de qua agitur, eſſe aliquid minus quàm neceſſitatem: eſſe enim ſimplicem compulſionem, quæ nec cogit nec neceſſitat, aut determinat voluntatem ad vnum, ſed eum ſinit omninò liberum ad vtrumque.

Addit Ianſenius, *Quam doctrinam non in iſto tantum Summæ ſuo loco, ſed & paſſim alibi tradit. Nam de Angelorum libertate diſputans, ſimiliter docet liberum arbitrium, vel liberum eſſe à coactione, vel à miſeria, iuxta primum modum eſſe liberum arbitrium in Angelis, & ſimilitudinem habere liberi arbitrij diuini in hoc quod non cogitur ad bonum, & ex Sancto Anſelmo probat.* 2. Parte q. 29. Membr. 2. 1.

Quæ omnia ſatis ſuperius ſunt explicata & comparatio diuini & Angelici arbitrij ſatis indicat.

Addit Ianſenius, & rurſum, *Triplex eſt liber-*

Digitized by Google

tas, prima eſt libertas à coactione, ſiue à neceſſitate, ſecunda à peccato, tertia à miſeria. Prima, quæ eſt à coactione, eſt æquè in homine & Angelo tam bono quàm malo; Et hanc doctrinam teſtimonio Magiſtri Sententiarum, & Sancti Bernardi aſtruit, vt perſpicuum ſit eum ſic vtrumque auctorem, ſicut expoſuimus accepiſſe: Ita verò in illa tota quæſtione loquitur, vt non ſit vmbra alterius libertatis; vnde propriè liberum dicatur arbitrium, ſiue in Deo, ſiue Angelis, ſiue hominibus, niſi quod nullus eorum cogitur, liberi enim ſunt à coactione æqualiter. Quibus omnibus reſpondeo, me mirari Ianſenij frontem, qui cum tam ineptè pro ſe, & tam appoſitè contra ſuam ſententiam tot protulerit Auctores, tam audacter audet dicere; *Ex his nullam apparere aliam eſſe cauſam, cur homo dicitur liber, niſi quod ſit liber à coactione*, Sub hoc nomine libertatem à neceſſitate excludere volens; Cum tamen diſertè producat verba, quæ explicant libertatem à coactione eſſe libertatem » à neceſſitate, his verbis; Prima libertas eſt à » coactione ſiue neceſſitate: Dicat enim qui voluerit quomodo clarius poteſt dici ſub coactione neceſſitatem comprehendi, quàm comprehendendo vtraſque; ita vt libertas intelligenda ſit à coactione & neceſſitate, quam copulando illas, & illas explicando per particulam illam diſiunctiuam ſiue, vt arbitrium hominis ſit liberum, ſiue à coactione, ſiue à neceſſitate.

Ibidem art. 5.

Digitized by Google

Refutatio Cap. 22.

POST Alexandrum de Hales, producit Ianſenius omnino inutiliter Guillelmum Pariſienſem, ex quo textus longiſſimos tranſcribit, ad quos remitto lectorem, contentus ſatisfacere concluſioni, quam addit Ianſenius, *Hoc tantum, inquit, docet ſufficere, quod volitio ſit in noſtra poteſtate, & non ex ſolo motore extrinſeco*, Nec non amplius quicquam deſideramus: Sed ſi agens extrinſecum ita agit in voluntatem hominis, vt illam cogat, determinet, neceſſitet ſibi obſequi, ita vt non ſit in eius poteſtate reſiſtere, & voluntariè obſequi vel non obſequi; certè ibi nulla poteſt eſſe voluntas, nec peccatum, quia vt dicit Seneca, & poſt eum Sanctus Auguſtinus, Omne peccatum adeò eſt voluntarium, vt ſi non ſit voluntarium, non ſit peccatum: & ſi gratia Dei aliquam infert voluntati neceſſitatem volendi illi obſequi, non erit libera; ſic, ſi ſuggeſtio Diaboli illi infert neceſſitatem malè agendi, non erit etiam libera, & proinde nec meritum, nec culpa: ſed quia licet moueamur à gratia Dei, aut à ſuggeſtione Diaboli, liberum eſt conſentire aut diſſentire, conſenſus facit bonum aut malum opus, & hoc eſt, quod dicit Sanctus Auguſtinus, penes voluntatem ſemper remanere auctoritatem ſummam mouendi membra ſua, mouendi ſe ad volendum aut no-

Digitized by Google

lendum: poſſe quidem moueri ſuggeſtione ſiue ſuaſione, ſiue conſilio, ita tamen vt ei ſit liberum reſiſtere ſuggeſtioni, ſiue ſuaſioni, ſiue conſilio, operari ſi velit, & non operari niſi velit: nec poteſt ſuggeſtor, ſuaſor aut conſiliarius, aut alius quilibet motor extrinſecus, ita mouere animas humanas ad volendum aut nolendum, vt eis auferat dominium, imperium, aut auctoritatem ſuarum voluntatum aut actionum, vt ſatis explicat hîc Guillelmus Pariſienſis, tam in locis citatis à Ianſenio, quàm in alijs eiuſdem operis, de vitijs & virtutibus.

Sequuntur hæc verba Ianſenij, *Et in præcedentibus ſe declaraſſe dicit, quod tanta ſit libertas voluntatis, vt nec cogi poßit ad operationem ſuam propriam, quod eſt velle vel nolle, neque prohiberi ab ea, imò neceſſe eſt vt ſi velit operari, operationem ſuam, quod operetur eam, quidquid ipſam ad hoc moueat, nihil addo, quia perſpicuitati qua ſenſum ſuum explicuit, nihil pene addi poteſt.*

Reſpondeo me mirari ſolertiam Ianſenij, qui dicit ſe aſtruere quod deſtruit. Liberum enim arbitrium dicit ſe non tollere, & certè non tollit verbo, imò extollit vt penitus tollat: ſic hic profert textus ad extollendam libertatem, quam cogi non poſſe negat, ſed tamen ita neceſſitari ad vnum, vt libens ſequatur gratiam, & ita neceſſariò, quamuis non coactè, vt illi reſiſtere non poſſit, nec velle poſſe. Quod certè omnino eſt

Digitized by Google

contra mentem Guillelmi Pariſienſis, qui docet voluntatem hominis ab agente externo ſiue gratia, ſiue alio quolibet non poſſe neque cogi, neque ſuaderi, neque neceſſitari, vt voluntariè gratiam amplectatur, ſed ſemper dominam remanere actionum ſuarum & voluntatis, vt illam in quamcunque partem voluerit, flectere poſſit.

Refutatio Cap. 23.

POST Guillelmum Pariſienſem, Ianſenius producit Guillelmum Altiſſiodorenſem, appoſitè etiam in ſuam condemnationem; *Hic, inquit, in quæſtione quâ quærit, quid ſit libertas arbitrij, ſic loquitur: Eſt autem triplex notanda libertas in libero arbitrio, generalis ſcilicet, libertas neceſſitatis ſiue à neceſſitate, à peccato, à miſeria. Libertas à neceſſitate duplex eſt, ſcilicet à neceſſitate ineuitabilitatis; & hæc libertas non eſt in diabolo, quia ineuitabiliter peccat, & à neceſſitate coactionis extrinſece, & hæc eſt in omni habente liberum arbitrium.*

Reſpondeo Altiſſiodorenſem deſtruere differentiam Ianſenij inter coactionem & neceſſitatem; Non enim aliam agnoſcit libertatem quàm libertatem à neceſſitate & libertatem à neceſſitate, quæ eſt generalis explicat, ſub verbo coactionis, ita vt coactio ſit ſpecies ſub genere & pars neceſſitatis, & hoc ſatisfacit ijs, quæ adjiciuntur à Ianſenio.

Digitized by Google

Refutatio Cap. 24.

POst Altiſſiodorenſem producit Ianſenius Sanctum Thomam tanquam ſibi fauentem, ex quo tamen particulas quaſdam malè citatas malè inducit: Sic loquitur; *Primò arbitrium hominis dictum eſſe liberum, quia non cogitur, Hinc in ſecundo Sententiarum, ita ſcribit, Dicendum quod liberum arbitrium, dicitur ex eo quod cogi non poteſt: quam ſententiam in eadem diſtinctione ſæpius repetit; Et in quæſtionibus diſputatis liberum arbitrium, ſecundum quod dicitur liberum à coactione, non ſuſcipit maius aut minus:* Et in margine ſic citat, in diſt.21.art.4.In qua quæſtione de hoc non agitur,& ſunt tãtum articuli tres; Et in quæſtionibus diſputatis non ſunt 24. quæſtiones, ſed vnica tantum de veritate, & in articulo 10. ſunt tantum ſex argumenta: Et Ianſenius citat ad 7. ſed tamen libens hæc Sanctum Thomam dixiſſe fateor: Satis enim explicat S. Thomas ibidem in qu.25. art.2. quomodo liberum arbitrium ſit liberum à coactione; Nempè quia à neceſſitate, determinationemque ad vnum ſic tollit, vt libertatem ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia ſtatuat: Sic loquens; Sed contra, vt dicit
» Auguſtinus contra Tullium in libro de Ciui-
» tate Dei, quod eſt neceſſarium non eſt vo-
» luntarium, ſed liberum arbitrium in ratione
» ſua voluntarium habet, cum ſit facultas rationis

In 2.diſtinct. 21.

Quæſt. 24. de Veritate, art.10. ad 7.

„ tionis & voluntatis; ergo videtur quod non
„ poſſit per neceſſitatem cogi; ergo eſt liber à
„ coactione, quia à neceſſitate, per quam cogi
non poteſt. Præterea, inquit idem Sanctus Tho-
„ mas, quidquid cogitur non habet dominium
„ ſui actus: ſed ex hoc liberum arbitrium in
„ nobis dicitur, quia Domini ſumus noſtrorum
„ actuum, ergo videtur quod hoc ſit contra ra-
„ tionem liberi arbitrij quod cogatur, ideſt quo-
quo modo hoc fiat: voluntas enim, (vt idem
Thomas) in reſponſione perſequitur, neque
„ ſubiecto cogi poteſt, cum non ſit organo af-
„ fixa, neque obiecto. Quantumcumque enim
„ aliquid oſtendatur eſſe bonum, in poteſtate
„ eius remanet eligere illud, vel non eligere;
„ Item ſimiliter ſi proponatur voluntati aliquod
„ bonum, quod completam boni rationem ha-
„ beat, vt vltimus finis, propter quem omnia ap-
„ petuntur, non poteſt voluntas hoc non velle,
„ vnde nullus poteſt non velle eſſe fœlix, aut velle
„ eſſe miſer. In his autem quæ ad finem vlti-
„ mum ordinantur, nihil inuenitur adeò ma-
„ lum, quod aliquod bonum admixtum non
„ habeat; nec aliquod adeò bonum, quod in
„ omnibus ſufficiat; Vnde quantumcumque
„ oſtendatur bonum vel malum, ſemper poteſt
„ adhærere & fugere in contrarium ratione al-
„ terius, quod in ipſo eſt: ex quo accipitur, ſi
„ malum eſt ſimpliciter vt apparens bonum, &

Digitized by Google

„ bonum eſſet ſimpliciter vt apparens malum, „ & inde eſt, quod in omnibus, quæ ſub electione „ cadunt, voluntas libera manet, in hoc ſolo „ determinationem habens, quod fœlicitatem „ naturaliter appetit, & non determinatè in hoc „ vel illo: quamuis autem cogi non poſſit, ni- „ hilominus tamen poteſt inclinari ad agendum, aliquid per aliquas diſpoſitiones & habitus, ex quibus pronior efficitur ad eligendum alteram partem.

Adijcit Ianſenius; *Secundò neceſſitatem ſimplicem voluntatis non repugnare libertati naturalis neceſſitatis, ſecundum quod voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, vt fælicitatem libertati voluntatis non repugnat, vt Auguſtinus docet in primo de Ciuitate Dei: libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur. Non eſt autem violentia nec coactio in hoc, quod aliquid ſecundum ordinem ſuæ naturæ mouetur, ſed magis in hoc quod naturalis motus impeditur, ſicut cum impeditur graue ne deſcendat ad medium, vnde voluntas liberè appetit fælicitatem, licet neceſſariò appetat illam; ſicut autem & Deus ſua voluntate liberè amat ſe ipſum, licet de neceſſitate amet ſe ipſum*; Et in margine ſic citat quæſt. 10. de potent. art. 2. ad 1. quod certè in loco citato in Summa non inuenitur, in Sententijs non adeſt etiam, nec citatur per quæſtiones, ſed per diſtinctiones, ſi alibi, dicere deberet Ianſenius, nec etiam in quæſtionibus diſputatis

quæſt.10. de potentia art. 2. ad primum, vbi de eo non agitur, & tamen totum libens admitto. Nemo enim negat neceſſitatem naturalem non opponi voluntati, ſed tantum neceſſitatem coactionis & violentiæ; ita tamen vt nullo modo poſſit cogi nec neceſſitari: omne autem coactum fit ex neceſſitate, vt docet Sanctus Thomas in prima ſecundæ quæſt. 6. art. 4 in reſolutione ex Auguſtino lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 1. vbi dicit, quod fit ex neceſſitate, non fieri voluntariè: & in reſponſione diſtinguit duplicem actum voluntatis; vnum quidem, qui eſt immediatè, vel vt ab ipſa elicitus ſcilicet velle; alius, qui eſt actus voluntatis à voluntate imperatus, & mediante alia poteſtate exercitus hîc per violentiam impediri poteſt, ne voluntas imperium ſuum exequatur; Alius verò qui eſt actus propriæ voluntatis, violentiam pati non poteſt, quia actus ille nihil eſt aliud quàm inclinatio quædam procedens ab interiori principio & ſine cognitione, quod autem eſt coactum vel violentum, eſt ab exteriori principio: vnde contra rationem ipſius actus voluntatis eſt, quod ſit coactus vel violentus; ſicut etiam eſt contra rationem naturalis inclinationis vel motus lapidis quod feratur ſurſum, ſed quod iſte motus violentus ſit, ex eius naturali inclinatione eſſe non poteſt. Quod autem ſpectat ad id quod voluntas liberè appetat

Digitized by Google

fælicitatem licet neceſſariò, iam ſatis expoſuimus.

Addit Ianſenius, *Tertiò tradit hanc eſſe ſententiam Auguſtini, ad tertium dicendum, quod libertas ſecundum Auguſtinum opponitur neceßitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Citans in margine quæſt. 22. de Veritate, art. 1. ad 7. quæ apud Sanctum Thomam in loco citato non reperiuntur: Nec in quæſtionibus diſputatis, quæ tamen eſſe Sancti Thomæ non negamus, & in Ianſenium retorquemus: ſufficit enim nobis coactionem opponi voluntati, quæ eſt neceſſitas, & vocatur neceſſitas coactionis; vnde rectè concludi poteſt, voluntatem non neceſſitari coactione, nec cogi neceſſitate.

Addit iterum Ianſenius, *Quartò ſæpè docet arbitrium liberum non eſſe amiſſum per peccatum, quia remanſit liberum à coactione, quamvis ſit peccati ſeruum. Seruitus peccati non dicit coactionem, ſed vel inclinationem inquantum peccatum, præcedens aliquo modo inducit ad ſequentia, vel defectum virtutis: Naturalis, quæ non poteſt ſe à macula peccati eripere, cui ſe ſemel ſubdidit, & ideo ſemper in homine remanet libertas à coactione, per quam naturaliter eſt liberum arbitrium: Et alibi quæſt. 6. de Malo, vbi probare nititur in homine liberum arbitrium, cum obieciſſet ſibi ex Auguſtino quod homo perdidiſſet liberum arbitrium, reſpondet; Homo peccans liberum arbitrium perdidit, quan-*

Digitized by Google

tum ad libertatem, quæ eſt à culpa & à miſeria, non autem quantum ad libertatem quæ eſt à coactione. Sic citans quæſt. 24. de Veritate, art. 1. ad 7. & infrà ad 23. quæ omnia ita citat, vt ea inueniri non velit; nec enim ſunt in Summa, nec in explicatione Sententiarum; Nec in 24. quæſt. de potentia, nec in quæſtione de Veritate quæ eſt vnica; ſed tamen non negamus; nihil enim iuuant Ianſenium, nec negamus etiam, imò aſtruimus homini ſemper remanere libertatem à coactione, quæ eſt ſpecies neceſſitatis: qui enim cogitur, neceſſitatur. Nec enim liberum arbitrium cogi poteſt, nec neceſſitari, quia vbi coactio, ibi nulla voluntas, & quod eſt neceſſarium in homine, non eſt voluntarium, ſimilis reſponſio competit textui ſubſequenti. Homo enim perdidit tantum libertatem à culpa, & à miſeria, non autem à neceſſitate, vt communiter dicitur, quæ ſub ſe comprehendit neceſſitatem à coactione.

Addit Ianſenius, *Et in prima parte Summæ ad idem argumentum ex Auguſtino petitum, dicendum, inquit, quod homo peccando liberum arbitrium dicitur perdidiſſe, non quantum ad libertatem naturalem quæ eſt à coactione, ſed quantum ad libertatem quæ eſt à culpa & à miſeria.* Sic citans in margine prima parte quæſt. 38. art. 2. ad 3. quod apud Sanctum Thomam in loco citato non reperitur, quod tamen libenter admitti-

mus, & huic præcedentes ſolutiones applicamus.

Addit Ianſenius, *Quintò docet Magiſtrum Sententiarum, & Sanctum Bernardum, quando neceſsitatem remouent à libero arbitrio, de neceſsitate coactionis loqui; Sicut hoc de Magiſtro manifeſtum eſt ex multis locis Commentarij in diſtinctione 25. ſecundi Sententiarum, præſertim art. 4. ad 5. de Bernardo verò quæſt. 24. inter diſputatas de veritate*: Nam cum obieciſſet verba Bernardi, *Dicendum, inquit, quod Bernardus loquitur de libero arbitrio, quantum ad neceſsitatem à coactione, quæ nec intenſionem, nec remiſsionem recipit, de quo etiam videre licet articulum decimum, ad decimum quintum.*

Reſpondeo, Quod dicit Ianſenius Magiſtrum Sententiarum, & Sanctum Bernardum, quando neceſſitatem remouent à libero arbitrio, de neceſſitate coactionis loqui, id quidem intelligendum de coactione, ſed de coactione neceſſaria, id eſt quæ de neceſſitate fit, vt probari poteſt ex locis à Ianſenio citatis. Sic enim Sanctus Thomas in 25. 2. Sententiarum art. 5. explicat, in reſponſione, his verbis: Si ergo con-
» ſideretur libertas ſecundum quod remoue-
» tur perfecta coactio, ſic erit libertas à coa-
» ctione & neceſſitate, quæ quidem per ſe &
» ſemper liberum arbitrium ſequitur, vnde in
» littera dicitur, quod in omnibus inuenitur ſi-

Digitized by Google

„ ne qua peccatum imputari non poſſet. Et in „ reſponſione ad primum, libertas à neceſſitate „ omnibus ſtatibus communis eſt, Vnde quilibet videre poteſt Sanctum Thomam copulare coactionem cum neceſſitate, & hîc coniunctim coactionem & neceſſitatem complecti per coniunctionem &, vt & alibi diſiunctim per diſiunctiuas particulas, vel, ſiue, alibi, etiam ſæpe, abſolutè de neceſsitate tantum verba faciens, cum dicit triplicem eſſe libertatem à neceſſitate, à peccato, à miſeria, vel explicando neceſſitatem eſſe neceſſitatem à coactione vel ſimpliciter, vt hîc cum dicit libertatem à neceſſitate eſſe communem omnibus ſtatibus, & in 4. art. „ ad primum dicendum quod libertas à neceſ„ ſitate eſt, quæ conſequitur naturam potentiæ. Reliquus textus ex his quæ dicta ſunt, ſatis refutatur.

Addit Ianſenius; *Sexto, opus eſſe laude vel vituperio dignum, meritorium vel demeritorium, ex hoc quod eſt voluntarium ſpontaneum non coactum, tametſi ſit determinatum ad vnum. Non diſputans vtrum Chriſtus peccare potuit, cum ſibi obiecisset ex Auguſtino, quod nullus peccat in eo quod non poteſt vitare, proinde nullus etiam mereatur vel laudetur, de hoc quod dimittere non poteſt, reſpondet, impotentia coactionis, quæ opponitur voluntario, tollit rationem meriti & demeriti, Non impotentia, quæ eſt ex prefectione bonitatis vel malitiæ,*

In 3 diſt.12. quæſt.2. art. 1. ad 3.

Digitized by Google

quia hoc voluntarium non tollit, ſed ponit voluntatem confirmatam ad vnum; Reſpondeo Ianſenium edere contra ſe, quia impotentia coactionis, vt dicit Sanctus Thomas, non tollit rationem meriti nec demeriti, quia hæc impotentia non procedit ex imperfectione, ſed ex perfectione in bonitate, vt in Dæmonibus obſtinatio in malitia, perfectio autem illa in Chriſto ponit voluntatem confirmatam ad vnum, nempè in bonum, quod ſpeciale eſt in Chriſto, non autem in alijs hominibus. Ea eſt enim perfectio naturæ glorificatæ, vt iam peccare non poſſit: Chriſtus autem ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit verus comprehenſor, & ideò iam confirmatus fuit in bonum, vnde ſequitur voluntatem hominum non eſſe determinatam ad vnum, ſed id tantum obtinere in Chriſto, Angelis & hominibus beatis.

Ad ſecundum.

Addit Ianſenius; *Et paulo ſuperioribus in eodem articulo, quod poſſe peccare, pertinet ad laudem, eſt per acccidens, inquantum oſtendit opus quod laudatur ex neceſſitate (ideſt vt dicit Ianſenius coactione) factum non eſſe: ſed quamuis remoueatur à Chriſto potentia peccandi, non tamen ponitur coactio, quæ voluntario contrariatur, & laudis rationem tollit.* Cui textui ſuperior ſolutio ſufficit, quia Chriſtus, etſi peccare non potuerit, tamen liberè egit, quidquid egit, propter voluntatem in gratia confirmatam, & nihil egit ex neceſſitate.

Digitized by Google

tate, vt hîc dicit Sanctus Thomas, neque coactè, vt de ſuo addit Ianſenius, ſed liberè vt Deus, vt ibidem clarè explicat Sanctus Thomas.

Addit Ianſenius, *Et in diſtinctionem 18. vt explicaret quomodo Chriſtus mereri potuerit, per liberum arbitrium determinatum ad vnum, numero ſcilicet, ad diligendum Deum, dicendum inquit, quod etiam ſi eſſet determinatum ad vnum, numero ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt, tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis ſiue meriti, quia in illud non coactè ſed ſpontè tendit, & ita eſt actus ſui Dominus.* In 3. diſt. 18. art. 2. ad 5.

Reſpondeo ſicut antea, ſpeciale eſt in Chriſto, qui non modo viator, ſed comprehenſor fuit, vt voluntas eius, quemadmodum in Angelis & hominibus beatis, determinata eſſet ad bonum, quod non obtinet in hominibus viatoribus, quorum arbitrium non eſt determinatum ad vnum, vt dicitur hîc, in argumento quinto. Cui Sanctus Thomas reſpondendo non negat, ſed reddit rationem diuerſitatis in Chriſto, quia iam comprehenſor.

Addit Ianſenius, *Eandem ſuam mentem ſatis manifeſtè indicat, ſcribens in diſtinctionem 25. ſecundi Sententiarum, Vbi dicit nunquam liberum arbitrium ad peccandum compelli, ſeu cogi, quia iam ſibi in peccatum non imputaretur, quaſi indicans hoc ſufficere, vt in peccatum imputetur, quia non cogitur.* In 2. diſt. 25. art. 4.

Etſi textus hic ſit à Ianſenio fabricatus, tamen illi facile eſt reſpondere, non enim ibi dicitur, Nunquam liberum arbitrium ad peccandum compelli, ſeu cogi: Sed ſic loquitur Sanctus Thomas; Ad quartum dicendum, quod liberum arbitrium nunquam ita vincitur, aut ſeruituti ſubjicitur paſſionibus peccati, vt ad peccandum compellatur, quia iam ſibi in peccatum non imputaretur, ſed dicitur eſſe ſubiectum peccato, inquantum ex peccato inclinatur ad peccandum, ſicut à diſponente, non ſicut à compellente; vbi nullum verbum de coactione, nec de determinatione ad vnum, ſed noſtra & Catholica ſententia diſertè explicata, liberum hominis arbitrium, nunquam ita ſeruituti gratiæ, vel tentationis ſubjici, vt ad peccandum compellatur; id eſt, neceſſitetur, ſiue cogatur, quia hoc nec laudi, nec vituperio cederet, ſed tantum à gratia, vel tentatione inclinari ad bonum, vel malum, tanquam à cauſa diſponente, non ſicut à compellente, neceſſitante, cogente.

Art. 5. in Corp.

Addit Ianſenius, *Et in articulo ſequenti libertas à coactione & neceßitate (quam ibi pro ijſdem habet) per ſe, & ſemper liberum arbitrium ſequitur; vnde in littera Magiſtri Sententiarum dicitur, quod in omnibus inuenitur, ſine qua peccatum imputari non poſſet.*

Semper Ianſenius edit contra ſe, & vt refutetur, aut explicetur, quod dicit, Conſulendus

eſt tantum auctor in loco quem allegat, vel etiam alijs; arbitrium enim hic dicitur liberum à coactione & neceſſitate, & in reſponſione ad primum. Libertas à neceſſitate dicitur communis omnibus ſtatibus, & in littera dicitur in omnibus inueniri, ſine qua peccatum imputari non poſſet: Vnde ſequitur quod ſi voluntas determinaretur ad vnum, & non eſſet flexibilis ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia, nec mereri nec demereri poſſet.

Addit Ianſenius, *Hinc ſeptimo, cum conſtans eius doctrina ſit, liberum arbitrium eſſe reſpectu electionis; expreſſè tamen docet, electionem Beatorum, qua volunt amare Deum, eſſe liberam: Et proinde in Beatis eſſe liberum arbitrium; Illud quod eſt ad finem eſt duplex; quoddam enim eſt diſtans à fine, & quoddam eſt coniunctum fini, quod declarat de colore diſponente ad formam ignis; & perfecto qui non excluditur per formam. Ita dico, inquit, quod quædam ordinata ſunt ad finem vltimum beatitudinis, quæ ipſi fini coniungunt, vt videre, amare, & eiuſmodi, & reſpectu horum erit ſempiterna & libera electio, non autem imperfectorum, quæ à fine diſtant, vt fides, ſpes, & eiuſmodi.* In 2. diſt. 25. art. 1. ad 4.

Adeo ſterilis & ieiunus eſt Ianſenius in probanda ſua ſententia, vt ne vllum quidem locum proferre poſſit, qui illam non deſtruat, & ſemper idem alijs verbis repetit, locos peregrinos quærit, particulas quaſdam tantum excerpit eas

Digitized by Google

quæ expreſsè de quæſtione loquuntur, reticet, & omittit, vt hîc recurrit ad id, quod toties allegauit de libera voluntate Dei & Beatorum hominum: cui toties reſpondimus, diſparem eſſe rationem Beatorum hominum & viatorum, illi enim iam nihil merentur nec demerentur, & idcirco flexibilitas ad vtrumque in eis non deſideratur. Præterea Ianſenius non conſiderat difficultatem argumenti quarti, quo tenditur vt doceatur liberum arbitrium non eſſe in beatis, quia in eis ceſſat electio, quod concludit, homines viatores habere liberam electionem, non voluntatem determinatam ad vnum: & Sanctus Thomas dicit dupliciter conſiderari debere ea, quæ pertinent ad finem; quoddam enim eſt diſtans à fine, quoddam conjunctum fini, quod conjungitur formæ ſubſtantiali non excluditur per eam, ſic quædam ſunt ordinata ad finem vltimum, quæ ipſi fini conjungunt, vt videre, amare, & huiuſmodi, & reſpectu horum ſempiterna & libera electio, non autem imperfectorum quæ à fine diſtant.

Refutatio Cap. 25.

POST Sanctum Thomam, Scotum producit, quem dicit ſuæ ſententiæ defenſorem acerrimum, atque illam docere per quatuor articulos; *Primus, inquit, eſt ille capitalis, libertatem voluntatis omninò conſiſtere poſſe cum neceſſi-*

Quodlibet. 16.

Digitized by Google

tate, hæc eius verba ſunt. De ſecundo articulo principali dico, quod cum neceßitate ad volendum ſtat libertas in voluntate, & auctoritatibus non ſolum Anſelmi & Auguſtini dicentis, quod in futura vita liberius erit arbitrium, cum peccare non poterit, ſed etiam efficaciſsimis rationibus prolixe probat, cauſam verò & modum tradit, cur & quo neceßitas conſtat cum ſumma libertate, quia voluntas propter firmitatem libertatis ſuæ, ſibi ipſi neceßitatem imponit, in eliciendo actum, & in perſeuerando ſiue figendo ſe in actum.

Reſpondeo hoc eſſe verum in ſenſu quo loquitur Scotus, nempè quando voluntas eſt firmata & confirmata in libertate, quod non accidit hominibus viatoribus, ſed Angelis & Beatis.

Addit Ianſenius; *Secundus eſt, voluntatem, ſiue neceſſariò ſiue contingenter agat, ſemper agere liberè, nunquam naturaliter, voluntas ſemper habet ſuum modum cauſandi ad proprium ſcilicet liberè.* Et rurſum, *voluntas vt voluntas eſt principium actuum liberè; Non magis igitur voluntas poteſt eſſe naturaliter actiua quàm natura, vt eſt principium diſtinctum contra voluntatem, poteſt eſſe liberè actiua;* Quæ omnia vltrò concedimus, nec iuuant Ianſenij ſententiam, imò potius deſtruunt.

Quæ ſequuntur in Ianſenio certè tranſcribi non merentur, nec alia refutatione indigent quàm eadem quæ allata eſt: Ibi enim Scotus lo-

Digitized by Google

quitur de voluntate diuina, quæ neceſſario vult ſuam bonitatem, & tamen eſt liber: ac ne fortè quis credat ea omitti, tanquam diſſimulata hic tranſcribi operepretium eſſe iudicaui. *Tertius, inquit, eſt non ſolum in creaturis, quod non probat, ſed & in ipſo Deo hoc habere locum, quod & ipſe diligat ſeipſum liberrima, quamuis neceſſaria voluntate, eodem prorſus modo quo Auguſtinus docet, Deum voluntate eſſe iuſtum, & quamuis ſe negare non poßit eſſe liberum; Voluntas diuina neceſſariò vult bonitatem ſuam, & tamen in volendo eam eſt libera: Imò ex hoc ipſo quod Deus circa creaturas eligendas liber eſt, Concludit neceſſariò eſſe liberum ad amorem ſui: Hinc eſt, quod locum illum celeberrimum ex lib. 5. de Ciuitate Dei: Vbi Auguſtinus contra Philoſophos diſputat de propriè dicta humanæ voluntatis libertate, & exemplum ex diuina libertate petens dicit: Neque enim & vitam Dei & præſcientiam Dei ſub neceßitate ponimus, ſi dicamus neceſſe eſt Deum ſemper viuere, & cuncta præſcire, eodem modo explicat ſicut explicuimus: Nempè Auguſtinum excludere neceßitatem violentiæ, non autem aliam à diuina voluntate, quia liberè quantumvis neceſſariò diligit ſe, & illam eſſe vitam de qua loquitur: Cum enim locum de præſcientia explanaſſet, & ab ea neceßitatem violentiæ excluſiſſet, De quo, inquit, ait, Etiamſi nolumus efficit quod poteſt, de vita ſubijcit: Sed difficilius eſt quod addit vitam & præſcientiam: Sed*

ibi poteſt eſſe duplex reſponſio, vna quod vita accipiatur ibi pro actu beatifico, ſicut accipitur vita Ioannis decimo ſeptimo, Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te. Et ſicut loquitur Philoſophus, duodecimo Metaphyſicæ, intellectus actus eſt vita. Et pari ratione actus voluntatis eſt vita: Vita iſta non cadit ſub neceßitate excludente libertatem etiam in Deo; Si autem intelligatur vita pro vita naturali ipſius Dei, tunc non debet intelligi de illa vita ſecundum ſe accepta: Poteſt autem aliquid eſſe bene in ſe neceſſarium & neceßitate repugnante libertati, quamuis tamen ſit liberè, imò contingenter acceptatum. Quod exemplo liberè ſeſe præcipitantis, & ſemper acceptantis caſum iam neceſſarium illuſtrat.

Quæ etiam reſtant non ſunt maioris momenti, vt apud Ianſenium & ipſum Scotum qui voluerit videre poterit.

Sed vt innoteſcat omnibus quàm friuolè Ianſenius produxerit Scotum, nihil ſibi propitium dicentem, Et ſi id audacter aſſerat, inquiramus Scotum ipſum, quid de noſtra quæſtione ſenſerit, an docuerit voluntatem non eſſe liberam à neceſſitate, eſſe determinatam à Deo ad vnum; „ & ipſe nobis dicet, poſſe dici voluntatem „ eſſe totalem cauſam & immediatam reſpectu „ ſuæ volitionis, quod probat, Primò quia ali- „ ter ipſa non eſſet libera, ſecundò quia etiam „ aliter nihil contingenter cauſare poſſet, ter-

Lib. 2. diſt. 37. quæſt. 2.

Digitized by Google

„ tiò quia aliter non poſſet peccare, quartò quia „ aliter omnino nullam actionem habere poſ- „ ſet, quintò ex comparatione eius ad alias cau-ſas quod poſtea multis probat argumentis, ex quibus vnum tantum tibi profero. Nulla po- „ tentia habet perfectè in poteſtate ſua effe- „ ctum, qui non poteſt cauſari ab ea immediatè „ nec ab aliqua cauſa, cuius cauſatio non eſt in „ poteſtate illius potentiæ: cauſatio autem Dei „ non eſt in poteſtate voluntatis creatæ. Patet, „ ſicut nec virtus agentis ſuperioris eſt in po- „ teſtate inferioris agentis, igitur ſi Deus neceſ- „ ſariò immediatè concurrat vt cauſa immedia- „ ta reſpectu volitionis creatæ, voluntas crea- „ ta non plene habet in ſua poteſtate volitio-nem. Et poſt multa euiſmodi argumenta probat auctoritate Scripturæ ex illo Eccleſiaſtici dicimo quinto, & alijs, tum auctoritate Sancti Auguſtini 7. de Ciuitate Dei cap. 3. ſic Deus „ res quas condidit adminiſtrat, vt eas agere „ proprios motus ſinat. Et ex Anſelmo de con- „ cordia præd. & gen. Deus facit omnes „ actiones & omnes motus, quia ipſe facit res à „ quibus & in quibus & ex quibus fiunt, nul- „ la res habet vllam poteſtatem volendi aut fa- „ ciendi, niſi ipſo dante. Et ibidem parte 2. non „ ea Deus quæ prædeſtinat facit voluntatem „ cogendo aut voluntati reſiſtendo, ſed in ſuo „ eſſe dimittendo.

Refutatio

Digitized by Google

Refutatio Cap. 26.

POST Scotum producit Sanctum Bonauenturam, à quo magnam ſibi partam victoriam putat, quod ille libertatem, quam Magiſter Sententiarum vocat à neceſſitate, explicuerit per verbum coactionis, his verbis: *Eſt conſiderare libertatem arbitrij quantum ad eſſe, & quantum ad bene eſſe: ſi quantum ad eſſe, ſic vocatur à Magiſtro libertas à coactione (quod per neceſſitatem Magiſter intellexit) & à Bernardo libertas arbitrij, ab vno poſitiuè, ab altero priuatiuè ſi quantum ad bene eſſe &c.*

In 2. diſt. 25. ad textum, eſt Namque libertatis, &c.

Vnde nihil reſilit niſi contrarium Ianſenio; nempè liberum arbitrium nulla poſſe cogi neceſſitate, ergo non eſt determinatum ad vnum, ſed flexibile in vtramque partem.

Addit Ianſenius; ***Et ad explicationem textus alterius, quo Magiſter dicit libertatem ad malum eſſe etiam libertatem arbitrij, dicendum inquit, quod cum nomen rei imponatur à proprietate, quæ eſt ſibi inhærens inſeparabiliter & eſſentialiter, & libertas eſſentialiter liberi arbitrij non ſit libertas à culpa vel à miſeria, ſed libertas à coactione quantum eſt de ſe indifferens eſt ad bonum & malum, ideo Magiſter de hac intelligens dicit in littera, quod libertas à qua liberum arbitrium denominabitur liberum, non eſt libertas ad bonum tantum, ſed etiam ad malum.***

Ad textum verum nobis magis placet, &c.

Quod certè Ianſenio aduerſatur, ſi enim voluntas ita eſt libera, vt indifferenter poſſit ferri ad vtrumlibet ſeu ad indifferentia, certè non eſt determinata ad vnum, nec poteſt determinari ad vnum ſiue coactione ſiue neceſſitate, ſiue alio quocunque modo.

Addit Ianſenius; *Nam & quæſtione prima ſuper textibus illis allegatis, vbi illa Magiſtri & Bernardi ſententia excutitur, ſic rem definit. Ad prædictorum intelligentiam eſt notandum, quod cum quæritur, vtrum liberum arbitrium ſit æqualiter in omnibus, non eſt quæſtio de ipſo ſecundum quod dicitur liberum ea libertate, quæ eſt à miſeria vel à culpa, hoc enim modo planum eſt quod liberius eſt in vno quàm in alio; ſed eſt quæſtio de libero arbitrio, ſecundum quod dicitur liberum à coactione: ſic enim videntur auctoritates Sanctorum ſibi inuicem repugnare, & propterea ad contrarietatem, quæ videtur de medio diminuenda, intelligendum eſt quod liberum arbitrium, ſiue libertas arbitrij, vt dicit comparationem ad illud à quo dicitur priuatiuè ſiue negatiuè, dicitur enim liberum à coactione pro eo quod eſt ab omni coactione immune, per comparationem ad illud ad quod dicitur poſitiuè, pro eo quod libertas arbitrij eſt quædam facultas ſiue poteſtas ſeruandi rectitudinem; hæc autem facultas prout coactionis priuationi coniuncta eſt, habet quandam dignitatem, dignitatis enim eſt & poteſtatis non poſſe cogi, & ſic in liberi arbitrij intellectu tria clauduntur, videlicet*

Quæſt.1.in Corpore.

Digitized by Google

& à coactione immunitas, excellentiæ dignitas & poteſtas ſiue facultas. Quantum ad primum liberum arbitrium in omnibus in quibus eſt, æqualiter ſe habet, ſicut dicunt auctoritates Bernardi, & oſtendunt rationes ad hoc inductæ pro eo quod in omni in quo ponitur ſimpliciter & vniuerſaliter omnem excludit coactionem, propterea dicit Bernardus, quod ita plene eſt arbitrium liberum in creatura ſuo modo, ſicut in Creatore, quod etſi non poſſit intelligi veraciter eſſe dictum de aliquo, quod dicitur per poſitionem, poteſt tamen intelligi, de eo quod dicitur per omnimodam priuationem.

Quem totum textum ad nihil aliud produxit Ianſenius, niſi vt doceat liberum hominis arbitrium eſſe liberum à coactione, quod nemo negat, ſed illa coactio vocatur neceſſitas, & ſic arbitrium liberum eſt à neceſſitate coactionis, & à coactione neceſſitatis; Quod Sanctus Bonauentura abundè explicat in quæſtione ſequenti, vbi tractans de libero arbitrio in comparatione ad actum, & quærens vtrum ſit actuum contingentium & neceſſariorum, ſic reſoluit, Dicendum quod liberum arbitrium du-
» pliciter poteſt conſiderari; aut ſecundum quod
» liberum; aut ſecundum quod deliberans. Si lo-
» quimur de ipſo ſecundum quod liberum, ſic
» concedo, quod poteſt eſſe non ſolum reſpectu
» contingentis, ſed etiam neceſſarij, ſicut patet
» in Deo & in Chriſto, & in Angelis, & in ho-

Digitized by Google

„ minibus beatis: cum enim duplex ſit neceſ-
„ ſitas, videlicet coactionis, & immutabilitatis,
„ neceſſitas coactionis repugnat libertati arbi-
„ trij, neceſſitas verò immutabilitatis non, pro
„ eo quod arbitrium dicitur liberum, non quia
„ ſic velit hoc, vt poſſit velle eius oppoſitum,
„ ſed quia omne quod vult, appetit ad ſui ipſius
„ imperium, quia ſic vult aliquid, vt velit ſe
„ velle illud, & ideo in actu volendi ſe ipſum
„ mouet, & ſibi dominatur: Et pro tanto dici-
„ tur liberum quamuis immutabiliter ordinetur
„ ad illud. Si autem loquamur de libero arbi-
„ trio, ſecundum quod deliberans vtrum hoc
„ fiat vel non fiat, ſic actus eius de quo deli-
„ berat, eſt contingens; nullus enim deliberat
„ de neceſſario & impoſſibili, actus tamen eius
„ poteſt eſſe circa neceſſarium, vel circa contin-
„ gens: libero enim arbitrio eſt conſiderare
„ actum volendi, & ipſum volitum, & inquan-
„ tum liberum arbitrium eſt deliberans, neceſſe
„ eſt quod contingentia ſit circa vtrumque iſto-
„ rum, vel circa alterum: circa vtrumque, vt
„ cum quis deliberat vtrum velit intrare Reli-
„ gionem, vel diligere inimicum; circa alterum,
„ vt cum quis deliberat vtrum debeat conſen-
„ tire vel diſſentire appetitui naturali, &c.

Vbi clarè apparet omnimodam neceſſitatem excludi à libero hominum arbitrio, quandiu ſunt in via, quamuis aliter iſtud ſe habeat cum

Digitized by Google

ſunt in patria.

Addit Ianſenius, *Quam Bernardi Sententiam eſſe docet etiam quæſtione 5. in argumentorum ſolutione, & quæſt. 4. reſpondendo ad argumenta, impedimentum priuat actum libertatis, ſed coactio ponit actum liberi arbitrij, & ſimul cum hoc, ponit quod non ſit libertatis, & iſta ſunt impoßibilia, ſicut ſi poneretur aliquis actus eſſe voluntarius.* Citans in margine diſt. 26. quæſt. 4. in ſolutionibus argumentorum, ſic Ianſenius tres locos citat in quæſt. 5. & quæſtione 4. obmittens diſtinctionem, & diſtinctione 26. quæſt. 4. & hæc certè nullam aliam difficultatem pariunt, quàm perquirendi locos. Quid enim iuuat quod producit, dicit impedimentum priuare actum libertatis, quis negat? Sequentem rationem non valere, fateor, vt fatetur Bonauentura, quid inde in commodum Ianſenij cedit, ſed in meum commodum cedit illa Ianſenij in citando variatio, incidi enim in quæſtionem quartam diſtinctionis 26. eiuſdem libri ſecundi, vbi latè dicitur à Bonauentura, quomodo gratia in homine corrumpitur, & Bonouentura dicit id fieri à libero arbitrio per auerſionem mentis humanæ, ergo gratia neque cogit, neque neceſſitat, neque determinat actum voluntatis in obſequium ſui, imò homo libero arbitrio poteſt mentem ſuam auertere à gratia & ab ipſa deficere, quod multis rationibus hîc illuſtrat Bonauentura, quæ

Digitized by Google

hîc tranſcribere nimis longum eſſet, & qui volet in auctore legere poterit.

Addit Ianſenius, *Et quæſtione 5. qua quæritur vtrum liberum arbitrium cogi poßit à Deo, reſpondet: Illud poteſt intelligi dupliciter, aut ita quod intelligatur quod poßit auferre libertatem, & auferendo libertatem ſuperinducere coactionem; & hoc modo nulli dubium eſſe debet, quin Deus poßit hoc facere, quantum eſt de immenſitate ſuæ potentiæ, alio modo vt intelligatur quod Deus cogat liberum arbitrium, ſalua proprietate libertatis & eius natura, & hoc modo non ſolum eſt impoßibile, ſed etiam non intelligibile pro eo, quod implicat in ſe duo contradictoriè oppoſita. Ex hoc enim quod liberum arbitrium eſt, ſi aliquid vult, liberè vult; Et ex hoc quod voluntarium eſt, ſi aliquid vult, voluntariè vult, & ſe ipſô mouente vult. Ex hoc autem quod cogitur, ſi aliquid vult, ſeruiliter vult; & ſi quid vult, inuitè vult; & ſi aliquid vult, ab alio vult, quia violentum eſt, cuius principium eſt extra, nihil conferente vim paſſô; ergo liberum arbitrium cogi, non eſt aliud, quàm actum liberi arbitrij ſimul & ſemel eſſe liberum & ſeruilem, eſſe voluntarium & non voluntarium, eſſe à ſe & non à ſe.*

Quæ omnia nihil operantur niſi contra Ianſenium. Docet enim hîc Bonauentura arbitrium non poſſe cogi, & vt plura non dicam, nec toties dicta repetam, ſi non poteſt cogi, ergo nec determinari ad vnum à gratia, quia ſi determi-

Digitized by Google

netur, non relinquitur electio, nec libertas, niſi vt eſt in Angelis & beatis, quæ non eſt eadem in hoc ſæculo. Iam enim iſti iudicati ſunt & confirmati in gratia, & iam bonum voluntariè eligunt; homines verò hîc ſi neceſſitantur, aut coguntur ad vnum ſiue bonum ſiue malum, nec laude nec vituperio digni ſunt, ita nec meritum nec demeritum, & ſic inutile liberum arbitrium, & ceſſat: ſi enim determinatur ita vt eligere non poſſit, ab alio, non à ſe ipſo mouetur, ſed ab agente extrinſeco, ſicque inutilis quæſtio à qua neceſſitate ſit immune liberum arbitrium; Poſito enim quod determinetur ad vnum, omnino tollitur liberum arbitrium, vt Caluinus illud planè tollendum aſſerit, hîc vero extollendum ſimulat, ſed ambo certè in eundem ſcopum collimantes.

Addit Ianſenius, *Ex ipſius conſtantis doctrinæ principiis, docet conſequenter Sanctus Bonauentura, neceſſitatem ſolius coactionis repugnare libertati, non autem illam, quæ eſt voluntaria, quantumcumque ſit immutabilis.*

Antequam vltra progrediamur, liceat nobis horum verborum conſiderationi diutius immorari, & conſiderare quo ſenſu & quomodo intelligat voluntariam neceſſitatem hominibus in hoc ſæculo non repugnare libertati arbitrij. Dicat nobis Ianſenius quæ ſit illa voluntaria neceſſitas in hoc ſæculo, quomodo agit, quomo-

Digitized by Google

do incedit, quomodo picta aut ficta: ſi eſt neceſſitas, quomodo libertas: ſi volũtariè agit, quomodo neceſſariò, quomodo agens vel patiens vel vtrumque, dixi in hoc ſæculo, non enim de futuro nunc agitur, in quo voluntas tunc eſt determinata ad vnum, propter confirmationem in bonum, vel obfirmationem in malum: Et hoc eſt quod ſemper obijcit Ianſenius, qui nos aut Angelos aut Dæmones iam conſtituit in hoc ſæculo, ſed non modo ineptè, ſed ineptiſſimè.

Sic perſequitur; *Nam in ſecundum librum Sententiarum ſcribens de liberi arbitrij immutabilitate, quæſtione ſecunda, Ad illud, inquit, quod obijcitur, dicendum quod duplex eſt neceſſitas quædam à cauſa extrinſeca, vtpote neceſſitas coactionis, & hæc opponitur ei, quod eſt liberè velle: quædam vero à diſpoſitione intrinſeca, & hæc huic non opponitur, imò ſtat ſimul cum libertate; talis eſt in libero arbitrio Dæmonum, qui ita conglutinant ſibi malum, vt nullo modo velint ab eo ſeparari.*

In 2. diſtinct. 7. q. 2.

Ex quo textu licet concludere contra Ianſenium, Libertatem hominum in hoc ſæculo differre à libertate Dæmonum, & in hoc ſæculo liberè velle & neceſſariò opponi, quia neceſsitas quæ in hoc ſæculo infertur voluntati quoquo modo fiat, procedit à cauſa extrinſeca; Neceſſitas verò, quæ Dæmonibus ineſt à cauſa intrinſeca, id eſt à ſe ipſis procedit, & ſic hæc neceſſitas libertati non opponitur; imò ſtat cum illa,

quia

Digitized by Google

quia Dæmones libero arbitrio ita conglutinant ſibi malum, vt nullo modo velint ab eo ſeparari.

Addit Ianſenius, *Et quæſtione tertia, qua quæritur, vtrum confirmatio ſcilicet beatorum, vel obſtinatio diminuat libertatis dominium, quia confirmatus dicitur habere neceſſitatem, ſic rem definit: Reſpondeo dicendum, quod neceſſitas immutabilitatis ad bonum, nullo modo repugnat libero arbitrio, nec inquantum liberum à coactione, quia coactio eſt ab extrinſeco, nec inquantum liberum à culpa vel à miſeria, & ideo non diminuit: illa ergo propoſitio ſolam habet veritatem de neceſſitate coactionis, vel pronitatis ad malum.* Quæſt. 3.

Hic textus confirmat noſtram præcedentem confirmationem, ex eo enim clariſſimè apparet differentia libertatis in hoc ſæculo & in alio. In hoc enim fatetur Ianſenius coactionem neceſſitatis opponi libero arbitrio. Bonauentura autem docet in futuro non repugnaturam: in hoc repugnat, quia à cauſa extrinſeca; hîc non, quia ab intrinſeca: Sic in futuro arbitrium erit liberum à neceſſitate à culpa & à miſeria, ſic hæc propoſitio neceſſitatem opponi libero arbitrio, intelligenda eſt de neceſsitate ſiue coactionis, ſiue cuiuſcumque quæ à cauſa extrinſeca procedit.

Addit Ianſenius, *& diſtinct. 25. quæſt. 2. liberum arbitrium dupliciter poteſt conſiderari; aut ſe-*

Digitized by Google

cundum quod liberum, aut ſecundum quod deliberans. Si loquamur de ipſo ſecundum quod liberum, ſic concedo, quod poteſt eſſe non ſolum reſpectu contingentis, ſed etiam neceſſarij, ſicut patet in Deo & in Chriſto, & in Angelis, & in hominibus beatis. Cum enim duplex ſit neceſsitas, videlicet coactionis & immutabilitatis; neceſsitas coactionis repugnat libertati arbitrij, neceſsitas verò immutabilitatis non pro eo quod liberum arbitrium dicitur liberum, Non quia ſic velit hoc, vt poſsit velle eius oppoſitum; ſed quia omne quod vult, appetit ad ſui ipſius imperium, quaſi ſic vult aliquid vt velit ſe velle illud, & ideo in actu volendi ſe ipſum mouet & ſibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamuis immutabiliter ordinetur ad illud.

Hunc textum iam ſupra produxi contra Ianſenium, tantum abeſt, vt eum illi fauere credam; & cum inde nihil colligat, nec ego dignor reſpondere, ſuperiores explicationes illi applicans.

Addit Ianſenius; *Et paulò poſt inferius, actus liberi arbitrij, vt liberum eſt, non ſolum poteſt eſſe circa neceſſarium, ſed etiam neceſſarius in ſe.*

Vellem ſcire quid inde colligere poſſet Ianſenius quod ad rem ſuam faciat; Nam cum agit, poſito quod agit, actus eius eſt neceſſarius; Sed vtinam, Lector, vellet legere apud Bonauenturam quæſtionem illam ſecundam allegatam: videret ibi eum docere multis argumen-

Digitized by Google

tis neceſſarium, & voluntarium ex oppoſito diuidi: Omneſque actus voluntatis eſſe liberos, nullos neceſſarios, niſi in eo quod Beati eſſe volumus, non miſeri, vt in Deo Chriſto, Angelis & hominibus beatis.

Addit Ianſenius; *Et hoc ſenſu loquutum eſſe Auguſtinum, cum dixit in enchiridio, quod homo malè velle non poterit, & quod voluntas qua beati eſſe volumus, ſit voluntas libera; imò admittit actum voluntatis neceſſarium eſſe meritorium, quia qui fecit bonum, vult ſe feciſſe.*

Et hæc Ianſenij ſententiam deſtruunt, & noſtram aſtruunt; Cum enim dicit Auguſtinus quod homo malè velle non poterit, Nec tamen carebit libero arbitrio, verum eſt in futuro ſæculo, & in hoc falſum; Homo enim malè velle poteſt, & nimis ſæpè malè vult, ſic etiam voluntas, qua beati eſſe volumus, eſt libera, quia neceſſariò & liberè omnes optant fœlicitatem, & appetunt beatitudinem, &c.

Addit Ianſenius, *Et in tertium Sententiarum ad diſtinctionem duodecimam, quæſtione, Vtrum Chriſtus peccare potuerit, ſic ſoluit obiectionem, quod nemo eſſet laudabilis in his, quæ facit de neceſſitate; Dicendum, inquit, quod eſt neceſſitas, quæ repugnat voluntati, ſicut neceſſitas coactionis, quæ venit ab extrinſeco, & eſt neceſſitas, quæ venit ex voluntatis immutabilitate; Cum ergo dicitur quod laus non eſt in operibus neceſſitatis; dicendum quod verum* In 3. diſt. 12. 12.

Digitized by Google

eſt de neceſsitate primo modo dicta, ſed non de ſecundo.

Huic textui iam ſæpiſſime ſupra ſatisfeci, & illum ideò tantum producit Ianſenius, vt oſtendat neceſſitatem coactionis repugnare voluntati. Ego vero dico ſub hoc nomine neceſſitatis coactionis, comprehendi omnem & quamcumque neceſſitatem, quæ venit ab extrinſeco, non autem neceſſitatem, quæ venit ex immutabilitate voluntatis, vt in Chriſto, Angelis, & beatis hominibus.

Addit Ianſenius; *Quibus ſimilia dicit diſt. 18. quæſt. 2. potentiam videlicet determinatam ad vnum, non per naturam, vt ſunt potentiæ naturales, ſed per gratiæ confirmationem, vt in Chriſto contigit, poſſe exire in actum meritorium, quia eſſet voluntarius.* Quæ omnia non negamus, ſed libenter admittimus, tanquam Ianſenij ſententiam deſtruentia; Chriſtus enim Angeli & Beati homines habent determinatam voluntatem in bonum, quia confirmati in gratia: homines verò qui in hoc ſæculo degunt, nondum illam habent, vt poſſint illam mereri vel demereri, quod fieri non poteſt, niſi habeant liberum arbitrium flexibile ad vtrumque.

Refutatio Cap. 27.

POST Bonauenturam Ianſenius producit Henricum à Gandauo, cuius hæc ſunt ver-

Digitized by Google

ba; *Poteſt, inquit, liberum arbitrium duplici reſpectu conſiderari; vno videlicet inquantum reſpicit voluntatem vt elicientem actum volentem; alio in quantum reſpicit obiectum vt terminum eius. Et ſecundum vtrumque reſpectum iudicanda eſt ipſa arbitrij libertas, ſed eſſentialius ſecundum primum, quia eſt diſpoſitio voluntatis vt ſubiecti, licet in reſpectu ad obiectum, inquantum tendit in ipſum per ſuam actionem. Si ergo conſideretur liberum arbitrium in primo reſpectu, ſic dico, quod voluntas dicitur liberum arbitrium, quia abſoluta eſt ab omni coactione ipſam impediente à contriſtante in ſua actione. Voluntas enim omnis vt liberè tendit in ſuam actionem, delectabilis eſt; Neceßitas coactionis contriſtans, quia eſt contra voluntatem, & omne quod cogit, neceſſario eſt contriſtabile, vt dicit commentator ſuper quintum Metaphyſicæ. Et hoc modo homo, & omnis rationalis & intellectualis natura liberi arbitrij ſiue liberæ voluntatis eſt, quia voluntas rationalis cogi non poteſt, coactione dico impellente, iuxta illud quod dicit Anſelmus de concordia prædeſtinationis, &c. Voluntatis arbitrium vt rectitudinem deſerat, nulla cogitur neceßitate, quamuis mortis impugnetur difficultate.*

Hunc longum textum ideò tantum producit Ianſenius, vt probet liberum arbitrium non cogi, quod non nego, ſed ipſe aſſerit; Ita enim vult non cogi, vt tamen determinetur & neceſſitetur à gratia, vt neceſſe ſit illi parere; quod

Digitized by Google

cum probare non poſſit, innumeros textus ex diuerſis auctoribus accumulat, vt probet, quod omnes fatentur, & nulli negant, liberum arbitrium non cogi, & ſub prætextu probandi non cogi, vult tamen neceſſitari & determinari ad vnum; neque diuertibile in diuerſas partes, ſed determinatum ad vnum. Quod ſi verum eſt, quid opus tot allegationibus, & conſequentijs, & exemplis ex futuro ſæculo elicitis? Afferat locum quemdam non modo Auguſtini, ſed alicuius Patris, qui ſuam ſententiam claris & diſertis verbis doceat & pronuntiet. Ego defeſſus ſemper eaſdem repetere ſolutiones & explicationes: Ecce profero Henricum à Gandauo ſententiam pro me ferentem, & tanquam è Cathedra pronuntiantem. Dico inquit, Quod voluntas di-
» citur libera, quia indifferens ad diuerſa & con-
Ibidem. » traria, ſine omni determinatione reſtringen-
» te ipſam ad alterum eorum; Cætera, quæ ex
» eodem profert Ianſenius, non illi magis fa-
» uent, quàm ſuperiora, quibus omnibus præ-
» cedentes ſolutiones quilibet Lector facilè po-
» terit accommodare.

Refutatio Cap. 28.

In 2. diſt. art. 2. q. 1.

POST Henricum à Gandauo, producit Ianſenius Richardum de Mediauilla docentem liberum arbitrium cogi non poſſe; his verbis; *Liberum arbitrium liberum eſt ab aliquo &*

Digitized by Google

ad aliquid. Primo modo ſecundum Bernardum de libero arbitrio longè poſt principium : Triplex eſt liberi arbitrij libertas , ſcilicet à neceßitate cogente, à culpa inclinante, & à miſeria impellente. Quam etiam diſtinctionem ponit Magiſter in littera; Et ſicut dicit Bernardus, Ibidem inter has tres libertates, libertas à neceßitate cogente maximè conuenit libero arbitrio; Et ſecundum ipſum ibidem, libertatem à neceßitate contulit nobis in conditione naturæ , &c. Et ibidem quæſt. 2. Libertas arbitrij coactione abſoluta eſt inamißibiliter vbicumque eſt: Hæc enim libertas eſſentialis eſt libero arbitrio; libertas verò accidentalis, quæ eſt à virtute peccati, amißibilis eſt, &c. Ibidem q. 2.

Quæ omnia nullo modo proſunt Ianſenio: Probat enim quod conſtat apud omnes, ſed non probat liberum arbitrium immune à coactione, ſubiectum eſſe neceſſitati, quod probare deberet, ſi vellet ſuam differentiam inter coactionem & neceſſitatem ſtare, quod non præſtitit, nec vnquam præſtare poterit. Eſt enim abſurdum & falſum: cum enim dicunt Patres & Scholaſtici liberum arbitrium eſſe liberum à coactione, hoc dicunt, vt oſtendant non eſſe liberum à peccato & à miſeria; Vnde etiam ſæpè cum de illa neceſſitate loquuntur, ſimpliciter neceſſitatem vocant, vt cum dicunt triplicem eſſe libertatem à neceſſitate, à peccato & à miſeria, quinetiam hîc Richardus de Mediauilla

libertatem illam à coactione ſimpliciter vocat libertatem à neceſſitate, quam Deus contulit nobis in conditione naturæ: & quæſt. 2. in fine idem Richardus de Mediauilla profert Bernardum dicentem, quamcumque aduerſitatem vel neceſſitatem non poſſe deſtruere, vel aliquatenus minuere liberum arbitrium in ſe. Sed quid pluribus opus eſt, ſi Ianſenij ſententia vera eſt: Liberum arbitrium eſſe tantum immune à coactione, non autem à neceſſitate, ita vt poſſit neceſſitari vel determinari ad vnum, doceat Richardum à Mediauilla hoc docere, quod certè ego ſcio neminem poſſe, quia ego ſcio me oppoſitum poſſe, probare: ego enim illum conſului, & ſic mihi reſpondit, non poteſt dici quod „ liberum arbitrium ſit aliquis habitus ſuperad- „ ditus intellectui & voluntati realiter differens „ ab vtraque, quia habitus inclinat determi- „ natè ad alteram partem in modum naturæ, li- „ berum autem arbitrium non ſic.

Plures alios textus præcedentibus ſimiles profert Ianſenius, quos hîc tranſcribere inutile iudico, tantum addam verba Ianſenij, vt pateat quid inde colligat; *Hæc inquit omnia Richardus quibus apertè ſentit neceſſitatem illam voluntariam, vtpote quæ ex plenitudine volendi proficiſcitur, non tollere libertatem arbitrij, vel rationem meriti.* Quæ certè verba ſunt vera, ſecundum mentem Richardi, & falſa ſecundum mentem Ianſenij. Richardus

chardus enim plenitudinem illam volendi intelligit de ijs, qui ſunt in patria, Ianſenius autem de ijs, qui ſunt in via: qui autem ſunt in patria iam confirmati in gratia, beatitudinem adepti ſunt; qui in via, illam mereri ſatagunt, aut ſatagere debent.

Refutatio Cap. 29.

POST Richardum de Mediauilla, producit Ianſenius Thomam de Argentina, in diſtinct. inquit, 25. ſecundi Sententiarum art. 1. ſic ſcribit: *Potentia, quæ eſt eſſentialiter libera, aliquo modo & ſui ipſius motiua: ſed voluntas eſt eſſentialiter libera, vt inferius intendo declarare diſt. 28.* Aduertat Lector cui bono hoc produxerit Ianſenius, qui addit. *Et inferius articulo 4. concludit Deum poſſe immutare liberum arbitrium, non tamen cogere, quia contradictionem implicat, eſſet enim inuoluntarium & voluntarium, nolitum & volitum, & hæc eſt intentio inquit Bernardi in libro de libero arbitrio, vbi ait; Voluntas pro ingenita nobilitate nulla cogitur neceſſitate.*

In 2. diſt. 25. art. 1.

Quod certè non mirum eſt, nec ad id probationibus opus habet Ianſenius, qui addit. *Et ibidem ad argumentum reſpondet, Deus non poteſt cogere liberum hominis arbitrium, eo quod non ſit capax coactionis; nam eius coactio eſſet contradictionis implicatio, quia coactum non eſt liberum, igitur ſi liberum arbitrium cogeretur, tunc idem eſſet*

Digitized by Google

liberum & non liberum. Quod certè fateor, & in Ianſenium retorqueo, cum enim doceat liberum arbitrium eſſe incapax coactionis, non vult eſſe capax neceſſitatis, quæ idem operatur, neceſſarium enim non eſt liberum, & ſic liberum arbitrium eſſet neceſſarium & liberum, id eſt liberum & non liberum.

Diſt.38.a.1. Addit Ianſenius, *Et in diſtinctione 38. artic. 1. Illa potentia eſt principaliter libera, quæ nullo modo cogi poteſt, ſeu libertate priuari; ſed ſola voluntas ſic eſt libera, quod neceßitari nullatenus poteſt neceßitate coactionis, quia ſecundum Bernardum lib. de libero arbitrio, voluntati datus eſt intellectus, vt illum inſtruat, non vt deſtruat; deſtrueret autem, ſi ei vllam neceßitatem imponeret.*

Conſideret Lector hunc textum, & aduertet Ianſenium non poſſe melius & fortius contra ſe edere: Docet enim hîc Thomas de Argentina liberum arbitrium nullo modo cogi, id eſt, neque coactione, neque vllo alio modo; Et addit, ſeu libertate priuari: priuaretur autem, ſi vlla neceſſitas illi imponeretur; id eſt quæcumque ſit, vel coactionis, vel alius cuiuſcumque ſit. Addit etiam idem Thomas, quod libertas nullatenus poteſt neceſſitari, datumque eſſe intellectum voluntati, vt illam inſtruat; deſtrueret autem, ſi ei vllam neceſſitatem imponeret, non hîc dicit neceſſitatem coactionis, ſed abſolutè & generaliter vllam neceſſitatem.

Digitized by Google

Addit Ianſenius, *Et in 3. diſtinct. 12. obijcit, Libertati Chriſti, quod ſicut nemo peccat, ita nec meretur in eo quod vitare non poteſt: Reſpondet autem, Quamuis neceſsitas coactionis tollat rationem meriti, neceſsitas tamen immutabilitatis prouenienſ ex profeſsione virtutum, non tollit rationem meriti, ſed auget.* In 3.diſt.12.

Sed quid hoc ſeruit Ianſenio? Poteſt-ne enim dicere nos donatos hac immutabilitatis neceſſitate, quæ prouenit ex profeſſione virtutum, quæ quidem immutabilitas ſoli Chriſto in hoc ſæculo contigit, nobiſque continget tantùm cum beatitudinem adepti fuerimus; & quamdiu fuerimus in via, eam tantum libertatem habebimus à neceſſitate, quam nobis Deus contulit in conditione naturæ: vt Richardus de Mediauilla, allatus in ſuperiori capite à Ianſenio docet.

Addit Ianſenius, *Et diſtinct. 18. art. 3. Aduerſus meritum Chriſti ſibi oppoſuerat, quod Chriſtus in omni actu ſuo determinatus eſſet ad bonum, & proinde non magis mereri poſſet, quod agens naturale determinatum ad vnum: Reſpondet autem, Agens naturale non prohibetur à merito, ex hoc quod eſt determinatum ad vnum, ſed ex modo determinationis, puta quod neceſſariò, & non voluntariè tendit in illud vnum: ſed Chriſtus & quilibet in gratia confirmatus, licet determinatè tendat in bonum, tamen voluntariè & liberè tendit in ipſum; huiuſ-*

Digitized by Google

modi enim determinatio non minuit voluntatem & libertatem, ſed potius auget, & ideò talis determinatio non repugnat merito.

Neſcio quomodo tam audacter Ianſenius ſemper edit contra ſe, ex hoc enim textu clarè apparet liberum arbitrium non determinari neceſſariò à gratia, ſed ei eſſe liberum ſeipſum determinare, quod ſecus eſt in Chriſto, & in omnibus qui in gratia confirmati ſunt, qui licet determinatè tendant in bonum, tamen voluntariè & liberè tendunt in illud, & huiuſmodi determinatio non minuit voluntatem & libertatem, ſed potius auget, & ideo talis determinatio non repugnat merito, ergo determinatio, quæ non eſt talis, illi repugnat, & proinde determinatio neceſſaria voluntatis à gratia, libero arbitrio repugnat & merito.

Refutatio Cap. 30.

POST Thomam de Argentina producit Dionyſium Carthuſianum, in ſecundum diſtinct. 25. quæſt. 4. ita loquentem, *Quatuor ſunt ſtatus libertatis, ſeu liberi arbitrij in homine: vnus ante peccatum: ſecundus ſub peccato; tertius ſub gratia; quartus in gloria; atque in omnibus his iudicio meo libertas à coactione, ſeu neceſſitate æqualiter manet in homine, propter libertatem voluntatis, quam ſi homo amitteret, peccatum eius non eſſet peccatum.* Vnde nihil concludit, ſed tamen eo-

Digitized by Google

dem animo producit, quo ſuperiores: Nempè vt probet liberum arbitrium eſſe liberum à coactione: Credens inde ſequi non eſſe liberum neceſſitate, ſed fruſtrà. Dionyſius enim non tantum à coactione, ſed etiam à neceſſitate liberum pronuntiat, his verbis: Atque in omnibus his iudicio meo libertas à coactione, ſeu neceſſitate æqualiter manet in homine, propter libertatem voluntatis, quam ſi homo amitteret, peccatum eius non eſſet peccatum.

Addit Ianſenius, *Et paulò poſt ad quæſtionem qua quærebatur, vtrum homo peccet coactè & neceſſariò, quia non poteſt non peccare, reſpondet: Si quis habeat plura deprimentia ad peccandum, & nihil eleuans contra ea, neceſſe eſt quod deprimentia vincant, & faciant eum labi deorſum: Ita eſt in libero arbitrio gratiam eleuantem non habente, ſed propriam infirmitatem & culpam trahentem inferius; tamen non cadit, niſi electione propriæ voluntatis, non neceßitate coactionis; Ideò dicit Gregorius, Peccatum, quod per pænitentiam non deletur, pondere ſuo mox trahit ad aliud.* Vnde nihil concludit: tamen apparet id ab eo produci, quia ibi neceſſitas vocatur coactionis, quod illi nullo modo prodeſt, vt ſæpius oſtendimus, & illi nocet quod hîc dicitur, Hominem non cadere, niſi electione propriæ voluntatis, quia qui eligit non eſt determinatus ad vnum; vbi enim determinatio, ibi nulla electio.

Digitized by Google

luntatis attenditur penes hoc, quod non poſſit immobilitari in bonum, vel in malum. Patet ex dictis in 3. art. quæſtionis quintæ huius ſecundi, quia completo ſtatu in eo in quo finaliter ſe poſuit de lege communi immobiliter perſeuerat, &c.

Reſpondeo, hic textus Ianſenio nocet, ex eo enim liquet, quod voluntas hominis non poſſit immobilitari in bonum vel in malum, & proinde in neutrum determinari.

Addit Ianſenius; *Quarta, nec libertas, vt æſtimo, in hoc conſiſtit, quod vltimum finem beatificum, clare viſum, de lege communi poſſit non velle, ſicut beatitudinem ſuam clarè viſam, & de hoc dictum fuit in art. 2.*

Reſpondeo verum eſt, libertatem in eo non ſitam, quia naturaliter omnes bonum completum appetunt, nempè fœlicitatem & beatitudinem, nec quiſquam appetit miſeriam.

Addit Ianſenius; *Quinta, videtur quod naturaliter libertas ſit ſua eſſentia, hæc eſt prius poſita in primo notabili ſecundi articuli, & ſtatim adijcit de libertate viæ, & de potentia Dei ad auferendam libertatem, nempè quod non ſit poſſibile, vt voluntate remanente, Deus eius libertatem auferat, quia vt dictum eſt, voluntas eſt ſua libertas.*

Reſpondeo hoc eſſe verum, & nihil facere ad ſententiam Ianſenij.

Addit Ianſenius ſuam concluſionem, *Ex his, inquit, perſpicuum eſt quid cenſeat Marſilius*

de

Digitized by Google

de libertate eſſentiali voluntatis, tum Angelicæ, tum humanæ; Nam quod diuerſos libertatis ſtatus exponat, quæ vel in via, vel in patria aliud poſtulant, non repugnat generali iſti doctrinæ, ſicut infra declaraturi ſumus; quemadmodum enim in viatoribus poſtulat indifferentiam, ita in Beatis admittit neceſsitatem.

Cum hæc fateatur Ianſenius, indifferentiam poſtulari in viatoribus, quomodo poteſt in illis ſuam determinationem ad vnum ſtatuere, non enim negamus in beatis admitti neceſſitatem, non autem in viatoribus.

Addit Ianſenius, *Et cum obijceretur ex Philoſopho 3. Æthicorum quod de neceſſarijs nullus laudaretur vel vituperaretur, Chriſtus autem in omni bono opere tam impeccabilis fuiſſet neceſsitatus, diſtinguit triplex neceſſarium: Primò, quia coactum, & in hoc nullus meretur: Secundò, quia à natura inexiſtens, ſic quod aliter fieri nequit, ſicut grauis inclinatio ad deorſum, & hominis inclinatio in ſcire per intellectum, & in bonum per affectum, & in talibus homo etiam non meretur: Tertio modo dicitur neceſſarium, quia ineuitabile, non tamen per naturam, ſed per gratiam in bonum confirmantem, & hoc contingit generaliter in comprehenſoribus.*

Quorum verborum explicationem à Ianſenio ſubditam & adiectam non improbo, ſed mihi vindico, tanquam mihi fauentem, & illi aduerſantem.

Digitized by Google

Refutatio Cap. 32.

POST Marſilium d'Inghen producit tres auctores, quorum duo in titulo, nempe Nicolaus de Orbellis & Stephanus Brulfer, quibus tamen in ſuo textu adijcit Petrum Capuleium Epiſcopum Conuerſanum; *Nicolaus, inquit, de Orbellis in ſecundo Sententiarum diſt. 25. dicitur liberum arbitrium ſimpliciter, non quod ſic velit hoc, vt poſſit velle appetitum, ſed quia omne quod vult, appetit ad ſui ipſius imperium, quia ſic vult aliquid, vt velit ſe velle illud, & ideo in actu volendi ſe ipſum mouet, & ſibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamuis immutabiliter ordinetur ad illud.*

Reſpondeo, Etſi hunc auctorem recuperare non potuerim, ex quo per illum meam Sententiam probare poſſem, tamen huic textui facile eſt reſpondere, in eo Gabrielem de Orbellis loqui de arbitrio Angelorum & Beatorum hominum, qui iam confirmati in gratia ad vnum determinati ſunt: vt ſatis liquet ex eius poſterioribus verbis, quamuis immutabiliter ordinentur ad illud; homines enim viatores non ſunt immutabiliter ordinati ad vnum.

Perſequitur Ianſenius.

Sthephanus Brulfer commentator Magiſtri Sententiam, ex ordine ſeraphico ſcribens in ſecundum diſt. 25. quæſt. 8. actus liberi arbitrij deliberantis,

Digitized by Google

quamuis poßit eſſe circa neceſſarium, ſemper eſt contingens; actus vero liberi arbitrij vt liberum eſt, non ſolum poteſt eſſe circa neceſſarium, ſed etiam neceſſarius in ſe.

Reſpondeo, hæc poſteriora verba Sthephani intelligenda de libero arbitrio Angelorum vel beatorum hominum, quorum arbitrium eſt neceſſarium in ſe, quia iam determinatum ad vnum propter confirmationem in gratia, & tamen liberum, quod ſecus obtinet in hominibus viatoribus, qui nondum confirmati in gratia, poſſunt deliberare, & poſt deliberationem eligere, conſentire vel diſſentire appetitui naturaliter inſerto, vt hîc dicit idem Stephanus, qui ſe ſatis explicat in quæſt. 9. ſequenti his verbis. Liberum arbitrium poteſt capi dupliciter, vno modo generaliter & communiter, alio modo ſpecialiter & ſtrictè: Primo modo liberum arbitrium eſt commune omnibus, Deo, Angelis & hominibus: Secundo modo liberum arbitrium ſolum capitur in creatura.

Addit Ianſenius, & quæſt. 7. *Non niſi tria vult includi in libero arbitrio, immunitatem à coactione, excellentiæ dignitatem, & poteſtatem: Quantum ad primum, eſſe æqualiter in omnibus in quibus eſt: Sicut dixit Bernardus, inquit, in libro de libero arbitrio, Manet libertas arbitrij tam plena in Beatis, &c.*

Quæ quomodo inſeruiant Ianſenio non vi-

Digitized by Google

deo, niſi quod Stephanus dicit, Liberum arbitrium eſſe immune à coactione, quod nemo negat, ſed non inde ſequitur non eſſe immune à neceſſitate; imò immune eſt à neceſſitate coactionis & à coactione neceſſitatis, vt iam ſupra ſatis explicuimus.

Addit Ianſenius Petrum Capuleium Epiſcopũ Conuerſanum Ordinis Seraphici, ſcribentem in ſecundum Sententiarum Sancti Bonauenturæ, *Quædam, inquit, ſunt ordinata ad finem beatitudinis, quæ ipſi vltimo fini beatitudinis coniunguntur, vt videre & amare, & reſpectu horum eſt ſempiterna & libera electio; alia autem ſunt imperfecta, eo quod vltimo fine diſtant, vt fides & ſpes, & hæc excluduntur, nec eſt ſempiterna electio reſpectu horum.*

Vndè cum nihil concludat Ianſenius, cumque iam ſimili textui reſponderimus, nulla ampliore refutatione opus eſſe iudico.

Refutatio Cap. 33.

POST hos tres ſuperiores Authores, producit Ianſenius Gabrielem ſcribentem in tertium diſtinct. 18. art. 3. his verbis, *Quod autem obijcitur de libertate beatificæ dilectionis reſpondet, negetur quod actus beatitudinis ſit ſimpliciter neceſſarius, quia ſiue ſit immediatè à Deo, ſiue elicitus à voluntate, eſt liberè elicitus, & ita contingens: eſt tamen immutabilis & perpetuus contingen-*

Digitized by Google

ter non neceſſariò, quia à voluntate diuina perpetuò conſeruatur, cuius certitudinem habet beatus per diuinam reuelationem: eſt ergo beatitudo immutabilis, quia non mutabitur, non autem immutabilis, id eſt impoßibilis mutari; Poſſet enim Deus eam mutare de potentia abſoluta; hæc eſt ergo contingentia, quam in ea Gabriel ponit per potentiæ externæ conſiderationem, & ibidem docet quod voluntas liberè & complacenter tendit in obiectum beatificum, licet non liberè, contradictoriè, & hæc libertas ſufficit ad rationem meriti.

Hæc omnia fruſtra proponit & producit Ianſenius, qui ſemper argumentatur à libertate Dei, Chriſti, Angelorum, & Beatorum hominum, quam toties reſpondimus eſſe differentem; Et mox illud probauimus authoritate Stephani Brulfer, quem nobis produxit Ianſenius, qui docet liberum arbitrium generaliter & communiter acceptum eſſe commune Deo, Angelis & Beatis hominibus, ſed ſpecialiter & ſtrictè capi ſolum de hominibus.

Quæ reſtant in hoc capite nihil aliud ſunt, quàm vanæ iactationes Ianſenij, qui dicit patere ex Auctoribus & Scholaſticis quos allegauit, quantum ab horum doctrina Neoterici degenerarint; Ego verò contendo ex meis refutationibus, & authoritatibus eorumdem authorum patere, quàm longè à ſuo ſcopo diſtet Ianſenius, cum appareat vete-

Digitized by Google

res & Neotericos in eadem ſemper ſtetiſſe ſententia.

Refutatio Cap. 34.

IANSENIVS ſic inſcripſit, & titulum fecit huic capiti. Soluuntur generaliter ſcripturæ Patres, & Concilia, quæ requirunt indifferentiam ad vtrumlibet, vbi præclarus titulus ſine re, vt patebit in progreſſu textus eius, totum enim illum tranſcribam & per ſectiones, quia longus; & apparebit omnibus lectoribus, quàm vanus & futilis Ianſenius, qui multa dicit, & nihil probat, imo ſe ipſum improbat & refutat; neſcit ille Belga quid loquatur, ſic incipit. *Primò obijciuntur ſcripturæ ſacræ quæ dicunt, Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui, adiecit mandata & præcepta, ſi volueris mandata ſeruare conſeruabunt te: Appoſui tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam: Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit dabitur illi. Vbi ſcriptura ſatis explicat quid ſit eſſe in manu conſilij, cum dicit hominem ſi voluerit mandata ſeruare, & conſequenter non ſeruare ſi noluerit: Rurſum ex duobus oppoſitis vita & morte, bono & malo, eligere poſſe quod placuerit, ergo in homine eſt libertas & contrarietatis & contradictionis, & non ſola libertas à coactione. Idem conuincunt omnia mandata, quibus aliquid iubetur vel vetatur, ſignificant enim hominem ad vtrumuis*

Eccleſiaſt. 15.

Digitized by Google

poſſe flecti, ad bonum, ad malum, ad agendum, ad abſtinendum, quibus conſentanea Patres omnes clamant, indicantes paßim hominem poſſe quæ iubentur facere, & non facere, vt viſum fuerit, & habere vt Nazianzenus, Τὰ ἐπάμφω τοῦ αὐτεξουσίου κινήματα In Apolog. *in vtramque partem liberi arbitrij motus, neque Deum homini neceßitatem, vt Hylarius in alter-* In Pſalm.2. *utrum affigere, loca plura non eſt opus operosè proferre, nam ex huius vnius argumenti ſolutione facile patebit quid de cæteris dicendum ſit.* Hæc argumenta ſibi obijcit Ianſenius, ergo non dubitat ea ex diametro pugnare cum ſua ſententia, vt nos etiam illi obijcimus. Videat, conſideret, & iudicet lector, quomodo ex his ſe expedit & liberat, & inueniet Ianſenium in ſua ſententia non ſtare, nec vllo modo ſibi conſtare, vt apparebit ex eius reſponſione, ſic perſequitur.

Itaque reſpondeo argumentum eſſe verißimum quod ab Auguſtino, Damaſceno, Bernardo, & cæteris, non ſolum admittitur, ſed velut Catholicæ fidei immobilis baſis aduerſus Manicheos, aliaſque peſtes veritatis & libertatis inimicos inuictißimè deffenditur, ac deffendi debet.

Cuius confeſſionis, profeſſionis & approbationis à quolibet lectore actum poſtulo, deinde ad Ianſenium redeo, qui ſic perſequitur, vt ab his ſe argumentis liberet.

Verum ad noſtrum propoſitum facere facile videtur, quis enim neſciat ſcripturas iſtas ac ſimiles de

Digitized by Google

viatorum hominum libertate loqui.

Quis vero adeò cæcus eſt, qui non videat & neſciat nobiſcum tantum eſſe certamen de libertate viatorum hominum, perſequitur Ianſenius.

Illi quippe ſunt quibus præcipitur bonum; ac vetatur malum; illi ſunt quibus ignis & aqua, vita & mors appoſita ſunt, illi ſunt qui parem in vtramque partem habent voluntatis motum; illi denique ſunt, qui poſſunt præcepta facere & non facere, ſeruare vel tranſgredi. Quæ omnia pro nobis colligit & dicit Ianſenius, qui ſic perſequitur.

Sed ſicut ex iſtiuſmodi ſcripturæ teſtimonijs perperam concluderetur, ergo Deus libero arbitrio caret, ergo beati homines, ergo Dæmones libertatis expertes ſunt, ergo ipſe Chriſtus Dominus dum in via ad patriam tenderet libertate caruit: cum neque beati, neque Chriſtus Dominus præcepta tranſgredi poßit aut potuerit, nec Deus eligere malum, nec Dæmones bonum: ita neque recte concluditur actum rationis voluntatis ſolius coactionis expèrtem non eſſe liberum.

Fruſtra hîc argumentatur Ianſenius: non enim negamus Deum, Chriſtum, Angelos, Beatos homines, & Dæmones eſſe liberos, etſi in vtramque partem flectere ſe non poſſint, propter rationes toties iam dictas, nempè quia confirmati in gratia; aut obſtinati in malitia; Nec de hoc libero arbitrio inter nos agitur, ſed de arbitrio

trio

Digitized by Google

trio hominum viatorum, quod ita debet eſſe liberum, vt poſſint eligere bonum vel malum, vt poſſint mereri vel demereri, & ideo in vtramque partem flectere ſe poſſunt, ſine vlla determinatione ad vnum.

Sic perſequitur Ianſenius. *Inter actum quippè liberum & ſtatum libertatis permagna differentia eſt; aliter Deus, aliter Angeli viatores, & primus homo; aliter beati, aliter damnati, aliter homines reparandi: aliter Chriſtus Dominus in via conſtitutus liber fuit, nec vllo pacto quæ in vno ſtatu libertatis adſunt, aut etiam requiſita ſunt, ad alterum extendenda ſunt: hominum igitur viatorum non ſolum coactionis expertem eſſe libertatem, ſed etiam neceſſitatis immutabilis voluntariæ, hoc eſt eam ad vtrumque indifferentem eſſe, cum ſcripturis, Auguſtino & Patribus & Catholica fide fatemur perlibenter, ſed in illa indifferentia ſitam eſſe generaliter humani arbitrij libertatem, ijdem Patres pernegarent.*

Habemus hîc confitentem reum, qui tamen inde ſibi effugium parat, & per hoc ſe elabi poſſe credit, cum dicit Auguſtinum, Patres, & Catholicam fidem pernegare in hac liberi arbitrij indifferentia ſitam eſſe generaliter humani arbitrij libertatem. Si verò in hoc ſita non eſt, dicat ergo in quo ſita eſt, cum ipſe alios eſſendi modos excluſerit, dicendo aliter Deum, aliter Chriſtum, aliter Angelos & beatos homines, aliter Dæmones liberos eſſe; Vnde reſtat

Digitized by Google

vt homines ſuo peculiari modo ſint liberi.

Perſequitur Ianſenius. *Neque enim quiſquam ſpero ita deſipuerit, vt hominem etiam viatorem libertatem amiſſurum putaret, ſi liberrima & liberatrice Charitate in humanum liberaretur & firmaretur arbitrium, vt quod beatis iam in præmium retributum eſt, in hac vita conſtitutus amplius iam peccare non poſſet.*

Profectò deſipit ipſe Ianſenius, hæc in medium proferre audens, quæ ſoli Chriſto viatori in hoc ſæculo contigerunt, ſed quomodo poteſt ille id homini tribuere & tributum eſſe probare per Auguſtinum, cuius tantum ſe dicit proferre ſententiam: ſic perſequitur.

Ex alio igitur capite quàm ex natura libertatis, oritur indifferentia ad agendum, & non agendum, itemque ad bonum & malum.

Negatur illi hæc conſequentia: indifferentia enim libertatis ad agendum oritur ex naturà liberi arbitrij hominum, quod ideo dicitur liberum, quia in vtramque partem ſe flectere poteſt, quod verò ſit liberum, alio modo in Angelis, &c. Sæpè explicatum eſt, quia confirmati in gratia, &c.

Perſequitur Ianſenius. *Nam quamuis iſtud certiſsimum in creatura rationali libertatis iudicium ſit, non tamen libertatis eſt cauſa vel ratio, & propterea adeſſe vel abeſſe poteſt voluntatis arbitrio, ſine diſpendio libertatis.*

Digitized by Google

Et hoc eſt quod abſolutè Ianſenio negatur, quia ſi libero arbitrio indifferentia tollatur, dicat vnde & quomodo liberum, cum nondum homo ſit confirmatus in gratia, & ipſemet Ianſenius alios libertatis modos excluſerit.

Perſequitur Ianſenius. *Deus quippe vt prætermiſsis Angelis tam beatis, quàm damnatis, de re notiſsima duntaxat loquar, iuxta Catholicam fidem eſt liberrimus, qui tamen nec malum vnquam eligere, neque ab eligendo bono quod ab æternitate ſibi eligendum præfixit, vlla mutatione deſiſtere poteſt, ne vel imprudens videatur, id eligendo quod poſtea propter alias non præuiſas rationes mutandum eſſe iudicaret, vel certè inconſtans & leuis ſine noua ratione reſpuendo, quod ſemel prudenter elegiſſet: quod ſi hoc ipſum, igitur Deus, quod ſibi quoad naturam competit Angelicis humaniſque voluntatibus per gratiam tribuere velit, vt propter ſimilem, licet imparem, lucis illuſtrantis magnitudinem, non ſinantur nouas rationes electionis mutandæ cernere, nec propter prudentiſsimæ voluntatis conſtantiam, ſine ratione mutare, quod ſibi ſemel & ſemper ſine vlla ceſſatione diligendum elegerant. Quis quæſo, niſi iniquus rerum apertarum iudex, non eos tanto in illa electione liberiores putet, quanto propius ad illam immobilem firmitatem diuinæ libertatis & electionis acceſſerint?*

Certè miror Ianſenij abſurditatem & imprudentiam ſimul, qui iam in hoc ſæculo vult ho-

Digitized by Google

mines æquiparare Deo, vbi ſunt iſtæ rationes ex Auguſtino, Proſpero, Fulgentio, & alijs Patribus, quos iactitant Ianſeniani; iam enim ſectam faciunt, vbi tot textus ex Auguſtino, quibus ſuam ſtare ſententiam dicit; Proferatur vnus tantum, qui clarè Ianſenij ſententiam explicet & pronuntiet, qui dicat homines in via habere liberum arbitrium, eo modo quo Deus Chriſtus, Angeli, & beati homines: Et tunc in verba Ianſenij iurabimus, ſin minus, diris deuouebimus.

Perſequitur Ianſenius. *Et propterea meritò dixerit Sanctus Thomas, quod reſpectu amare erit in beatis ſempiterna & libera electio, atque inde concluſerit in eis eſſe liberum arbitrium.*

Conſideret Lector modum allegandi, vt nihil probet; Aut vt probet quod in dubium non venit, qui & ſic perſequitur.

Quapropter liberum arbitrium in omnibus ſiue beatis, ſiue damnatis, ſiue viatoribus, ſiue Deo, ſiue creatura vniformem libertatis rationem obtinet, & ſi difformem ſtatum in Deo per naturæ conſtantiam, in beatis per gratiæ beneficium ad bonum ſemper determinatum eſt, in damnatis ad malum: cum tamen neutris quicquam de illa libertate, à qua liberum eſt arbitrium, detrahatur, rurſum in Angelis & primo homine viatore indifferentiſſimum fuit ad bonum & malum, in hominibus lapſis viatoribus itidem indifferens, ſed longe minus, vtpote qui vident

Digitized by Google

aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuantem eos in lege peccati, in Chriſto Domino viatore, nullo pacto ad malum flecti potuit: ita fit, vt liberum arbitrium pro naturæ cuiuſque vel ordinis diuinitus inſtituti, vel meritorum diuerſitate, diuerſum ſtatum ſortiatur, in quo ad diuerſa actionum genera potens, promptum & expeditum fiat: citra tamen vllam ipſius liberi ſeu formalis rationis libertatis varietatem: eadem quippe ratio libertatis in omnibus iſtis actionum & ceſſationum generibus dominatur, ſiue voluntas ita in alteram partem fixa ſit, vt non poßit velle, niſi vel tantum bonum vel tantum malum; vel ita indifferens, vt adhuc in vtramque partem flecti queat. Hoc eſt enim in omnibus liberum quod habent in ſua poteſtate, hoc eſt quod fit cum volunt, ſiue ſit bonum duntaxat, ſiue malum, ſiue vtrumlibet, ſiue ſit ad agendum, ſiue ad ceſſandum, ſiue ad vtrumlibet: fortitudo enim & amplitudo liberi arbitrij peccatis aut benefactis ita amitti poteſt, vt quædam actionum & voluntatum genera non poßit, quæ ante poterat, aut poßit quæ ante non poterat. Atque ita ad plures actiones extendatur aut contrahatur, ipſa tamen libertas arbitrij amitti non poteſt, quandiu vigente rationis conſideratione vel bene vel malè tantum, vel vtrumque facere poteſt.

Quæ omnia hîc tranſcribere volui, vt appareat omni Lectori quàm futiliter, quàm inutiliter, quàm ineptè diſſerat Ianſenius, vt ſuæ do-

Digitized by Google

ctrinæ ſenſum tegat: Quæ enim dixit hîc non plus me mouent, quàm ſi nihil dixerit, nec vlla conſideratione, reflexione, multominus refutatione indigent, cum inde nihil concludat, nec concludere poſſit Ianſenius, qui addit,

Quamobrem: *Quando ſcripturæ vel Patres vel Concilia indifferentiam illam agendi boni aut mali, & arbitrij flexibilitatem ad vtramlibet partem vrgent, aut indicant, aut prouocant, per quam videlicet poßimus ſi volumus bene vel malè viuere, velle vel nolle, diuinæ aſpirationi liberè conſentire, eamque abijcere, Deo vocanti conſentire vel diſſentire, certum liberi arbitrij ſtatum reſpiciunt, cui huiuſmodi flexibilitas propria & ſemper præſto eſt.*

Certè Cornelius ille Ianſenius inuenit modum non tantum reprobandi Neotericos, ſed omnes ſcripturas, Patres & inter illos Auguſtinum & concilia, cum indifferentiam ſtatuunt agendi boni aut mali, & arbitrij flexibilitatem ad vtramlibet partem vrgent. Nempè quod reſpiciunt certum liberi arbitrij ſtatum, cui huiuſmodi flexibilitas propria & ſemper præſto eſt: ſed hæc flexibilitas ſemper reſpicit ſtatum hominis dum in via eſt, cui huiuſmodi flexibilitas ſemper propria & præſto eſt. Aut dicat Ianſenius, in quo ſtatu hominis dum in via eſt, hæc flexibilitas propria non eſt, & ſemper præſto non eſt. Quod cum dicere non poſſit, non melius neque fortius ſuam potuit deſtruere ſen-

Digitized by Google

tentiam, qui tamen addit,

Non autem quaſi continuò non eſſet liberum, quidquid huiuſmodi flexibili in vtrumlibet poteſtate caret.

Imo quidquid huiuſmodi flexibili in vtrumlibet poteſtate caret, continuò non eſt liberum, quando agitur de libertate hominis, quandiu in hoc ſæculo viuit.

Refutatio Cap. 35.

IN hoc capite nititur Ianſenius probare actum voluntatis deliberatæ neceſſarium eſſe in poteſtate & dominio voluntatis. Titulus autem ipſe ſatis ſe ipſum refutat. Ad quid enim deliberario, ſi actus eſt neceſſarius? primo autem multas ſibi proponit obiectiones, quas & nos illi etiam obijcimus, quas poſtea per ratiunculas quaſdam nulla auctoritate neque Scripturæ, neque Auguſtini, aut aliorum Doctorum fultas probare intendit, vt mox apparebit: ſic autem loquitur.

Voluntas enim, hoc eſt volitio deliberata, de qua ſola tractamus, ſe ipſa libera eſt, & contradictionem implicat non eſſe liberam, quia fit cum volumus, non fit cum nolumus, non alia volitione, ſed ſe ipſa, non eſt vitioſus, aut Nugatorius iſte librandæ, libertatis modus: in illum enim neceſſariò inciditur, cum ratio eſſentiarum petitur, eſſentiarum quippè non datur ratio, velle autem & nolle eſſentialiter

Digitized by Google

liberum eſt, quod ſubtiliter Ioannes Scotus vidit, & rationem à priori dat, ſi tamen aliqua dari poteſt; nam rogatus cur graue non æquè liberè ſe mouet, quàm voluntas ad illud velle ſuum quod cauſat neceſſariò: Reſpondet, Illa cauſatio grauitatis eſt naturalis, iſta libera, quia hoc eſt hoc, & iſtud eſt iſtud, nam eſſe formæ & modus eſſendi agere, & modus agendi ſunt immediata.

Quodlibet. 6.

Iudicet Lector quid hæc faciant ad propoſitum Ianſenij, & num potius illud deſtruant.

Addit Ianſenius; *Quod eſt ipſiſſimum quod hîc cum Auguſtino de eſſentiali libertate voluntatis, quantumvis neceſſariæ aſſerimus.*

Notet hîc Lector malitiam Ianſenij, qui etſi nihil attulerit ex Auguſtino, quod ſuam ſententiam promoueat, tamen vult inſinuare, Sanctum Auguſtinum docuiſſe, neceſſitatem non impedire voluntatem libertatis, quia non ſit de eſſentia eius poſſe ferri in vtramque partem, ſed ſufficere, modo vnum liberè velit, licet neceſſariò, quod certè tantum eſt verum de ſumma illa libertate Dei, Chriſti, Angelorum & Beatorum hominum. Nam quoad homines viatores de eſſentia liberi eorum arbitrij eſt, vt poſſint ferri in vtramque partem: & hoc ipſum eſt quod iam toties ſupra demonſtrauimus auctoritate eorum ipſorum auctorum, quos pro ſe allegauit Ianſenius, & nuper ex Stephano Brulfer, qui in diſtinctionem 25. quæſt. 9. dicit, liberum

Digitized by Google

berum arbitrium capi dupliciter ; vno modo generaliter & communiter; alio modo ſpecialiter & ſtrictè. Primo modo liberum arbitrium eſt commune omnibus; Deo, Angelis, & hominibus. Secundo modo liberum arbitrium ſolum capitur in creatura.

Addit Ianſenius, *Itaque ſicut Scholaſtici quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem, voluntatem poſſe diſſentire ſi velit. Et Auguſtinum, hominem Deo vocanti poſſe conſentire ſi velit, putant, & rectè putant ſignificari humani arbitrij libertatem: ſic etiam intelligunt, eadem prorſus ratione libertatem indicari, ſi diceretur voluntas poſſe velle ſi velit, poſſe non velle ſi nelit; Nam quid eſt poſſe conſentire niſi velle, quid eſt diſſentire, niſi non velle? Si ergo phraſes iſtæ infallibiliter demonſtrant humani libertatem arbitrij, profectò liberum erit arbitrium, etiamſi immutabiliter velit, aut immutabiliter nolit.*

Venenum eſt tantum in cauda, nempè in illis poſterioribus verbis, profectò liberum erit arbitrium, etiamſi immutabiliter velit, aut immutabiliter nolit. Voluntas enim hominis quandiu eſt in via, nunquam eſt immutabilis, etſi aliquando aliquid vult tam firmiter, vt voluntatem ſuam mutare non velit, hoc euenit ex accidenti, non ex natura voluntatis, & à ſe ipſa, non ab alio agente extrinſeco.

Addit Ianſenius, poſt pauca quæ hîc ſuper-

Digitized by Google

ſlua tranſcribere iudicaui. *Quod ſi voluntas fortè vel agere vel ceſſare nolit, & firmiter nolit, & immutabiliter nolit velle contraria, agere velit, & firmiter velit & immutabiliter velit, quodnam hic fingi poteſt detrimentum libertatis?*

Reſpondemus nullum quidem ibi eſſe detrimentum voluntatis, imò potiùs augmentum: ſed Ianſenius non eſt adeò potens, vt nobis poſſit dare quod Deus dare noluit, & nobis tantum dabit, cum erimus in gloria, vt nihil poſſe nec deſiderare velimus niſi bonum.

Addit Ianſenius; *Et hoc eſt quod acutiſſimè vidit, & profundiſſimè diuino ſuo ingenio penetrauit Auguſtinus, cum toties aduerſus obtuſiores hominum imaginationes inculcauit, hoc eſſe in noſtra poteſtate & liberum, quod cum volumus facimus.*

Hoc idem ſæpè repetit Ianſenius, vt inde eruat neceſſitatem non impedire libertatem, nempè quia Angeli videlicet liberè faciunt quod volunt, & tamen liberi ſunt, etiamſi neceſſariò velint aut faciant, ſed ſecus eſt in hominibus, qui nunquam ſunt liberi, niſi poſſint facere & non facere quod volunt.

Addit Ianſenius; *Et ne quis ab illa regula libertatis voluntatem ipſam ſeu volitionem excluderet, ratione cuius in noſtra poteſtate & liberum nobis eſt, quidquid liberum eſt, ſtatim adjicit, & crebrò repetit, quapropter nihil tam in noſtra poteſtate quàm ipſa voluntas, hoc eſt, volitio.*

Lib. 1. de lib. arb. c. 3. Lib. 1. de Retractationibus c. 9. 2. retract. c. 1.

Quæ omnia aduerſus Ianſenium retorqueo, qui ſic perſequitur. *Et quare tandem Doctor ſanctiſsime, cum, te ipſo iudice & Magiſtro, quædam ſint perpetuæ & immutabiles voluntates in Deo & in Angelis bonis ac malis, quæ cum mutari aut ceſſare nequeant, non videntur amplius eſſe in eorum poteſtate: ea enim reſpondet ipſe, prorſus nullo interuallo mox vt volumus præſto eſt, & rurſum, non dicimus eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cum volumus fit, vbi prius & maximè eſt ipſum velle, ſine vllo quippe interuallo temporis præſto eſt voluntas ipſa, quam volumus.*

Conſideret Lector quàm ineptè hæc profert Ianſenius. Quid enim illa faciunt pro ſua determinatione voluntatis ad vnum? hæc omnia, probant libertatem voluntatis hominum; probent etiam libertatem voluntatis Angelorum, quid hoc lædit voluntatem hominum? Quos fatemur non habere tam excellentem libertatem quàm habent Angeli.

Addit Ianſenius; *Si præſto eſt cum volumus, & non præſto eſt cum nolumus, ergo liber eſt nobis;* Imo præſto eſt cum volumus, & præſto eſt cum nolumus, quia in nolendo & non volendo conſiſtit etiam voluntas.

Addit Ianſenius; *Si vero perpetuò & ſtabiliter velit, perpetuò & ſtabiliter præſto eſt, perpetuò & ſtabiliter libera eſt, tantéque liberior, quo magis inſeparabiliter præſto eſt, cum volueris, diuinæque &*

genuinæ voluntatis libertati conſimilior.

Mira narrat Ianſenius. Si enim ita voluntas eſſet hominis, certè diuinæ libertati conſimilior foret: ſed nondum eſt talis, dum homines ſunt in via, & illam obtinebunt, cum erunt in patria.

Multa addit Ianſenius, quæ cum omnia in eundem ſcopum tendant, nec hîc tranſcribere opus eſt, nec alia refutatione indigent. Semper enim argumentatur à libertate Dei & Angelorum, vt conſtat ex his quæ addit. *Qua conſideratione videtur dixiſſe vnum ſcholaſticæ Theologiæ lumen Sanctus Thomas, erit ſempiterna & libera electio reſpectu amoris beatifici: & alterum Ioannes Scotus; Voluntas reſpectu cuiuſcumque actus eſt libera, & à nullo obiecto neceſſitatur: & alibi, voluntas eleuata non neceſſariò fruitur quantum eſt ex parte ſua, neceſſitate ſcilicet naturæ, quam repugnare docet voluntati.* Primus enim textus loquitur de libertate beatorum, vt & vltimus textus Scoti; Primus enim textus Scoti loquitur de voluntate hominum, & ſententiam Ianſenij deſtruit, dicit enim voluntatem reſpectu cuiuſcumque actus eſſe liberam, & à nullo obiecto neceſſitari.

In 4. diſt. 49. quæſt. 10.

Addit Ianſenius; *Sed hoc eſt quod fallere videtur cogitantes, quod quia beatos ab illa fœliciſſima voluntate deſiſtere non poſſe vident, neſcio quo illos pondere libertatem præpediente ferri imaginantur,*

Digitized by Google

vt quædam quaſi naturalis neceßitas oriatur, quæ voluntate ſiſti vel abrumpi nequeant.

Imò hæc cogitatio nos non fallit, nec enim hoc dicimus, ſed Angelos & beatos homines ita confirmatos in gratia, vt nihil niſi bonum velle poſſint. Itaque fatemur hunc imperfectum & falſum eſſe imaginandi modum cum Ianſenio, & idcirco quæ addit parui aut nullius momenti ſunt, qui ſic perſequitur; *Cum enim iuxta Auguſtinum hoc tanquam ratione & arbitrio præditi poſſe dicamur, quod noſtram ſequitur voluntatem, & iuxta Anſelmum, omnis poteſtas ſcilicet rationalis, ſequatur voluntatem: ſi enim non ſubintelligitur voluntas, non eſt poteſtas, ſed neceßitas; hinc fit, vt iſto ſenſu etiam abruptio, ſeu ceſſatio illius voluntatis ſit in poteſtate, quia fit cum volunt, ſed ſi non velint, defectus oritur ex voluntate, non poteſtate.*

Primo Retract. c.22. Lib.2. Cur Deus homo cap.10.

Cui ratiocinationi iam ſatisfecimus cogitatione diuerſa ab illa, quam nobis imponebat Ianſenius, qui ſic perſequitur.

Quæ ſolutio quamuis Auguſtini ſit, ſi tamen alioqui nec dum faciat ſatis, ſi & ille quod ſicut nunc omnis omnino voluntas iuxta naturam voluntatis ex aliqua delectatione proficiſcitur, ſine qua præeunte eſſe non poteſt; ita quoque ſtabilitas voluntatis ex eadem delectatione naſcitur. Quo enim vinculo voluntas primò in obiectum amandum figitur, illo eodem nectitur, & ita alligatur, vt neque ad

Digitized by Google

momentum abrumpi , aut diuelli velit.

Solutionem Auguſtini à Ianſenio inutiliter allegatam non improbauimus; nec enim ea opus erat, cum non id diceremus, quod nobis imponebat Ianſenius: nec negamus etiam quod ille diſſerit de voluntate, quæ in obiectum ex quadam delectatione fertur, & in eodem ex eadem delectatione permanet. Sed hæc non iuuant Sententiam Ianſenij, quæ enim in vno loco, in vno tempore, in quadam ætate placent, in alijs diſplicere poſſunt, & ſemper mutabilis eſt voluntas hominis quandiu in viuis eſt: nullum enim hîc bonum perfectum, & tam ab omni parte completum, quin ſit mixtum delectatione vel triſtitia, & ſic mouere poteſt voluntatem modò in vnam partem, modò in aliam; & hoc confirmatur ex his quæ adfert Ianſenius ex Auguſtino. Quis animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet in poteſtate, vt vel occurrat quod eum delectare poſſit, vel delectet cum occurrerit? ſed multi illecebris, & voluptatibus capiuntur, & poſt concupiſcentias ſuas eunt, quibus delectantur & decipiuntur ſub ſpecie recti: vt enim nullum bonum tam completum in hac vita, quin ſit amaritudine mixtum; ſic nullum malum tam completum, quod non aliqua conſideratione boni mixtum ſit; vnde quidquid addit Ianſenius euaneſcit, nec Ianſenium iuuat quod addit ex Au-

guſtino; *Voluntas gratia conſequitur libertatem, ſed gratia potius libertatem; & vt perſeueret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem*; In illo enim loco Sanctus Auguſtinus intendit tantum dicere, gratiam præcedere voluntatem, non enim conſequi gratiam per libertatem, ſed per gratiam aſſequi libertatem & fortitudinem etiam per gratiam, vt in ea perſeueret, vt ex lectione Sancti Auguſtini facilius patebit.

Multa addit Ianſenius, quæ hîc tranſcribere inutile eſt, nec alia refutatione indigent, quàm ea quam hîc ſubnectemus poſt illius verba, quæ addit quaſi concludendi modo: Lib. de Corrept. & gratia c. 8.

Si ergo ratio cum pleniſſimo, tranquilliſſimo ſereniſſimoque iudicio iudicet ſibi diligendum eſſe Deum, & ſe ſaniſſimè iudicare iudicet, voluntas verò amando rationem ſequi velit, & hoc ſe velle velit & ceſſare nolit, perfectiſſime beati ſe ipſos mouent, & ſui actus perfectiſſimum dominium habent: neceſſitas enim, quæ in actu apparet ab ipſa voluntate & dominij & libertatis eius perfectione proficiſcitur, quia ipſa ſibi neceſſitatem facit, non per modum naturæ, ſed perfectiſſimæ libertatis monendo & determinando ſe.

Quæ omnia libenter admittimus in Beatis: ſed à libertate beatorum hominum ad libertatem hominum viatorum non valet argumentum, vt ſæpius docuimus, & demonſtrauimus;

Digitized by Google

quia viatores nondum in gratia confirmati vt Angeli & beati homines, & hæc ſolutio ſatiſfacit textibus ſequentibus, quos pro ſe allegat Ianſenius ſic perſequens; *Vnde ſuccinctè & fortiter de hac ipſa Sanctus Bonauentura, neceßitas coactionis repugnat libertati arbitrij; neceßitas verò immutabilitatis non pro eo quod arbitrium dicitur liberum, non quia ſic velit hoc, vt velit eius oppoſitum, ſed quia omne quod vult appetit ad ſui ipſius imperium, quia ſic vult aliquid, vt velit ſe velle illud, & ideo in actu volendi ſe ipſum mouet & ſibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamuis immutabiliter ordinetur ad illud.*

In 2. diſt. 25. q. 2.

Ex hoc enim textu apparet immutabilitatem voluntatis tantum pertinere ad eos, qui ſunt confirmati in gratia, qui non deſinunt eſſe liberi, licet ita velint hoc, vt eius oppoſitum velle non poſſint, quod denotat differentiam libertatis eorum, cum libertate hominum, qui non eſſent liberi, ſi ita hoc velle poſſent, vt eius oppoſitum velle non poſſent, id eſt ferri ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia: nec vllus vnquam doctor vel auctor quilibet dixit voluntatem hominum eſſe immutabilem in hoc ſæculo, aut immutabilitate vlla donatam à Deo.

Addit Ianſenius, *& Ioannes Scotus tractans cur actus neceſſarius non ſit naturalis ſed liber, voluntas inquit nunquam poteſt eſſe determinata naturaliter ab aliquo agente ſuperiori, &c. & poſito*

actu

Digitized by Google

actu primo, quo voluntas eſt voluntas, ſi ipſa ſibi relinqueretur, & ſi poßit contingenter habere vel non habere hoc velle, (id eſt ſiue contingenter ſiue neceſſario haberet) tamen ſeipſam determinaret ad hoc velle.

Conſideret Lector quàm ineptè Ianſenius edat contra ſe. Si enim Scoto quem allegat, credere vult, poteſt-ne negare voluntatem non determinari à gratia, cum à nullo agente ſuperiori poſſit determinari, & ſe ipſam determinet?

Addit Ianſenius; *Et Henricus à Gandauo, Voluntas eſt primum principium mouens in finem ſe ipſum, &c. Et hoc conuenit ei ex naturali proportione voluntatis, & cum vult ex ſe per ſe ſic moueatur, ſicut lapidi, quod ſemper deorſum mittatur.* Quodlibet. 1. q. 17.

Conſideret Lector quid probet Ianſenius, nempè voluntatem ſe ipſam mouere; quis hoc negat? Sed dicit Ianſenius voluntatem ſe ipſam mouere immutabiliter, & hoc omnes negant, & inter cæteros Henricus à Gandauo, vt iam demonſtrauimus, & hoc numquam poterit probare nec Ianſenius, nec quiſquam alius; & conuenit voluntati, vt cum vult, ſe ſe moueat ad hoc vel illud, non immutabiliter ad vnum.

Refutatio Cap. 37.

IN hoc capite Ianſenius, cum non poſſit diſſimulare ſuam ſententiam proſcriptam eſſe per bullas Pij quinti & Gregorij decimi

Digitized by Google

quinti, qui has propoſitiones damnarunt, *Quod voluntariè ſit etiam ſi neceſſitate fiat, libere tamen ſit, & ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*, conatur ſic euadere; Dicendo hanc tamen eſſe totam doctrinam Dionyſij Carthuſiani, Thomæ de Argentina, Henrici à Gandauo, Richardi de Mediauilla Sanctorum Bonauenturæ & Thomæ, Alberti, Alexandri Halenſis, Guillelmi Altiſſiodorenſis, Pariſienſis, Petri Lumbardi, Hugonis, Bernardi, Damaſceni, Bedæ, & Auguſtini, vt conſtat ex eorum teſtimonijs allegatis: quorum tamen doctiſſimorum & ſanctiſſimorum virorum doctrina nunquam antea accuſata, nequidem ſuſpecta, à duobus Pontificibus eſt damnata.

Quod quàm impudenter dictum ſit, ſatis animaduertet Lector, qui voluerit legere refutationes noſtras inductionum & allegationum, quas ex his auctoribus eruere nititur Ianſenius, vbi illos non modo non fauere Ianſenio, ſed penitus illius ſententiam deſtruere demonſtrauimus: ita vt mirum non ſit, ſi nunquam illorum doctrina non modo non damnata, ſed nequidem vnquam ſuſpecta fuerit, cum nunquam Ianſenio conſenſerint, nec his propoſitionibus in duorum Pontificum bullis damnatis, quas cum in ſuas ſibi vindicet Ianſenius, ſequitur in illis ſuam eſſe damnatam ſententiam; & hoc ſufficere arbitror ad refutationem huius capitis.

Digitized by Google

Refutatio Cap. 37. bis.

TITVLVS ita conceptus eſt, Quomodo potentiæ rationales ſe habeant ad oppoſita, & actus liber poſſit eſſe neceſſarius. Primò ſibi proponit argumenta, quibus cum reſpondere non poſſit, ſemper recurrit ad libertatem Angelicam, ſic loquens *Sed vt doctrina ſit generalior, ſtatuamus hominem vel Angelum ita diuina gratia in primo inſtanti præueniri, vt non alia indifferentia, ad oppoſitum eligat amare Deum, quàm nunc à beatis beatifico amore diligitur: Dico igitur etiam iuxta caſum propoſitum varijs modis à veteribus libertatem amoris beatifici deffendentibus: Reſponſum eſſe, Sanctus Bonauentura præcisè negat generaliter eſſe verum, quod poteſtas rationalis ſe habet ad oppoſita; ſed hoc eſt verum, inquit, de poteſtate rationali, ſecundum ſtatum mutabilitatis & vertibilitatis, ſecundum quem ſtatum intelligitur verbum Philoſophi.*

Ex his apparet quàm impertinens ſit Ianſenius, qui ſemper vult confundere libertatem Angelicam cum humana; nec aliter poteſt ſuam tueri ſententiam quam per ſuppoſitiones falſas, ſi enim homo ita diuina gratia præueniretur, vt poſſet non alia indifferentia ad oppoſitum eligere amare Deum, quàm nunc à beatis, beatifico amore diligitur: Verum

Digitized by Google

quidem eſſet, eum non poſſe ad alteram partem ſe flectere, ſed cum hæc ſuppoſitio ſit falſa, neceſſe eſt vt conſequens ſit falſum: Et tam ineptus eſt Ianſenius, vt Sanctum Bonauenturam contra ſe edat, qui dicit, Poteſtatem rationalem ſecundum ſtatum ſuum mutabilitatis & vertibilitatis poſſe ſe flectere in vtramque partem; Quod non negamus ſecùs forè poſtquam immutabilitatem voluntatis adeptus fuerit, & noſtram ſolutionem confirmat Ianſenius, his verbis quæ addit, quæ hæc ſunt. *Et expreſſè docet liberum arbitrium, ſi conſideretur deliberans vtrum hoc fiat, vel non fiat, ſic eſſe reſpectu contingentium, quia de neceſſarijs non deliberatur.*

Bonauent. in 2. diſt. 25. qu. 2. & 3. ad obiecta.

Quod aduerſus Ianſenium retorquemus: liberum enim arbitrium hominum viatorum conſiderari debet vt deliberans, vtrum hoc fiat vel non fiat, quia de neceſſarijs non deliberatur, & fruſtra deliberaretur vtrum hoc fiat vel non fiat, ſi voluntas ſe ferre non poſſet indifferenter ad vtrumlibet.

Addit Ianſenius, *Sin autem vt liberum eſſe reſpectu actus non tantum contingentis, ſed etiam neceſſarij, ſicut patet, inquit, in Deo & in Chriſto, & in Angelis, & in hominibus beatis, eo quod neceſſitas immutabilitatis non repugnat libero arbitrio.*

Et hoc deſtruit penitùs ſententiam Ianſenij,

Digitized by Google

& notat differentiam libertatis in Deo, Chriſto, in Angelis, & in hominibus beatis, nec eſſe parem in hominibus viatoribus: non enim dicit Bonauentura in hominibus ſimpliciter, ſed cum hac additione beatis, quia neceſſitas immutabilitatis non repugnat libero beatorum arbitrio, quæ proinde repugnat libero hominum viatorum arbitrio.

Non maioris ponderis eſt quod addit Ianſenius, *Alexander Hales ſufficere indicat, vt liberum arbitrium in ſe ſpectatum ſe habeat ad oppoſita, & de ſe ſit cauſa contingentium, quia nempè de ſe vertibile eſt in bonum aut malum, in hoc vel illud, in agere & non agere: quod autem in futuro erit cauſa neceſſariorum, hoc eſt ex ſuperadditione determinationis, quæ eſt à iuſtitia cauſæ primæ retribuentis.*

Conſideret Lector, quomodo fortius poteſt ſuam ſententiam deſtruere Ianſenius, quàm dicendo liberum arbitrium ſe habere ad oppoſita, eſſe vertibile in bonum & malum, in hoc vel illud, in agere & non agere: quod verò aliter obtinebit in futuro ſæculo, id fore ex ſuperadditione determinationis, quæ eſt à iuſtitia cauſæ primæ retribuentis: ſi enim hæc ſuperadditio determinationis ad vnum, locum obtinebit tantum in futuro ſæculo, numquid inde ſequitur, id in hoc locum non habere, & præmium fore futuræ vitæ.

Digitized by Google

Addit Ianſenius nec magis appoſitè, *Propius magiſque propriè videtur tetigiſſe veritatem Albertus Magnus, cum eodem peteretur argumento libertas Chriſti Domini; Reſpondit, Potentia rationalis vt eſt potentia (hoc eſt provt purè conſideratur in ratione potentiæ) eſt ad oppoſita, & ſic ſemper fuit in Chriſto, ſed in ipſo nunquam fuit, vt potentia indifferenter ſe habens ad vtrumque contrariorum, eo quod illa potentia de ſe indifferens in ipſo ad alteram partem determinata eſt.*

Conſideret item Lector, nunquid hoc penitus deſtruat Ianſenij ſententiam; Cum Albertus doceat potentiam rationalem, vt eſt potentia, eſſe ad oppoſita; quod vero in Chriſto indifferenter ſe non habeat ad vtrumque contrariorum, id inde eſſe, quod illa potentia de ſe indifferens in illo ad alteram partem determinata eſt.

Addit Ianſenius; *Itaque vt res ex ſuis principijs conſtet, reſponderi vberius poteſt, potentias rationales, qualis eſt intellectus & voluntas, ita ſe habere ad oppoſita, vt tamen cum agendum eſt non eis repugnet, ſed maximè conueniat ad alterum per proprium appetitum determinari, vt Ariſtoteles nono Metaphyſicorum docet: alioqui enim potentia rationalis, hoc eſt ratio contraria faceret, ſicut ad contraria ſe ſe habet, hoc vero impoſſibile* ἀνάγκη ἄρα ἕτερόν τι εἶναι, τὸ κύριον, λέγω δὲ τοῦτο ὄρεξιν, ἢ προαί-

ρεσιν, ὁποτέρου γὰρ ἂν ὀρέγηται κυρίως τοῦτο ποιήσει· *Neceſſe eſt igitur, aliud quiddam eſſe quod dominetur; hoc autem dico appetitum, ſeu electionem, ſcilicet alterutrius oppoſitorum, quodcumque enim principaliter appetierit, hoc faciet: ſicut ergo non repugnat, ſed congruit potentiæ rationali, vt vnum ex oppoſitis principaliter, id eſt per modum dominantis actui ſuo appetat, altero relicto: ita non repugnat, ſed congruit, ſi eadem dominatiua poteſtate, alterum eorum fortiter, ſtabiliter, inceſſanter eligat, propter rationes maximas, quibus ita iudicat fortiter, ſtabiliter, inceſſanter eſſe appetendum, & alterum reſpuendum.*

Et hæc omnia non negamus, ſed hæc omnia nihil iuuant determinationem ad vnum, nec ſtatuunt immutabilitatem voluntatis in homine viatore, nec prohibent quin is, qui tam fortiter, ſtabiliter & inceſſanter elegerit, propter rationes maximas non poſſit mutare ſententiam propter alias, quas potiores exiſtimabit, ſiue benè, ſiue malè, iudicet. Quæ reſtant in hoc capite noſtra refutatione indigna ſunt.

Refutatio Cap. 38.

IN hoc capite Ianſenius dicit ſe proferre epilogicè conſenſum antiquorum Scholaſticorum & ſcriptorum vſque ad Auguſtinum,

Digitized by Google

& repetit eoſdem Authores quos ſeparatim per capita protulit, quos cum ibi refutauerimus, repetere ſuperfluum eſſe iudicamus, & ad ea Lectorem remittimus; & ibi inueniet illos cum Sancto Auguſtino, ſed contra Ianſenium ſentire.

EXPLI-

Digitized by Google

EXPLICATIO LOCORVM S. AVGVSTINI QVIBVS ABVTITVR IANSENIVS.

IAM vt promiſſa à nobis exequamur & debitum exſoluamus, ſuccedit vt explicemus omnes locos, quibus Ianſenius abutitur ad ſuam tuendam Sententiam, & illos nobis tanquam fauentes vindicemus: Quos quia nobis difficile eſſet ſparſos per tres tomos Ianſenij perquirere, illos promemus ex eius collectore, qui illos in vnum digeſſit ſub hoc titulo; *De gratia Chriſti ſemper efficaci in libello, cui etiam titulum fecit Sanctus Auguſtinus, per ſeipſum docens Catholicos, & vin-*

Digitized by Google

cens Pelagianos; eoſque perſequemur eodem ordine, quo illos digeſſit, Primus autem qui occurrit, eſt *ex cap. 12. de correptione & gratia* cuius hæc ſunt verba; *Itemque ipſa adiutoria diſtinguenda ſunt: Aliud eſt adiutorium, ſine quo aliquid non fit; & aliud eſt adiutorium, quo aliquid fit: nam ſine alimentis non poſſumus viuere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, vt viuat, qui mori voluerit; ergo adiutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit, vt viuamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus, adiutorium eſt enim non ſolùm ſine quo non fit, verumetiam quo fit, propter quod datur; quapropter hoc adiutorium, & quo fit, eſt, & ſine quo non fit, quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta vero non conſequenter faciunt, vt homo viuat, ſed tamen ſine illis non poteſt viuere. Primo itaque homini, qui in eo bono in quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo, per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam prædeſtinatis, non tantum tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur. Non ſolum vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poßint, verum etiam vt per hoc donum niſi perſeuerantes ſint.*

Digitized by Google

Non ſolum enim dixit, Sine me nihil poteſtis facere, verumetiam dixit, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat: Quibus verbis eis non ſolum iuſtitiam, verum etiam in illa perſeuerantiam, ſe dediſſe monſtrauit: Chriſto enim ſic eos ponente vt eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forſitam non manebit.

Omnium horum locorum explicationem in meam ſententiam audacter & ſecurus aggredior; Certus nunquam Sanctum Auguſtinum dixiſſe gratiam Dei ſemper eſſe efficacem, nec vnquam docuiſſe gratiam Dei neceſſariò determinare & neceſſitare voluntatem ad vnum, nec etiam vnquam docuiſſe voluntatem hominis eſſe immutabilem: Sed contra, ſemper docuiſſe efficaciam gratiæ, pendere ab arbitrio hominum ad vtrumlibet, ſeu ab indifferentia libero, ita vt conſentire vel diſſentire propriæ, & ſolius voluntatis ſit. Nec vereor mihi poſſe obijci vllum locum Sancti Auguſtini hiſce propoſitionibus aduerſantem; & hanc generalem ſolutionem quaſi præfatiunculam quandam repetitam intelligo omnibus locis Sancti Auguſtini, quos explicaturi ſumus.

Atque vt noſtra explicatio à nemine poſſit reprobrari, illam mutuabimur tantum ab ipſo Sancto Auguſtino & eius diſcipulis: nullus

Digitized by Google

enim melior explicator & commentator mentis cuiuſdam auctoris, quàm ipſe auctor, hiſque prælibatis ad huius loci explicationem accedo, & dico. Quod in prima parte huius textus loquitur Sanctus Auguſtinus de adiutorio, ſine quo aliquid non fit, & quo aliquid fit, eſſe quidem verum; ſed non cedere in fauorem Ianſenij. Quia ibi Sanctus Auguſtinus agit de beatitudine, quam cum dat Deus homini, continuò fit beatus: ſed non inde ſequitur vt cum Deus dat gratiam homini viatori, continuò il- » lam amplectatur, nec poſſit illam reſpuere; » quia Deus, qui fecit nos ſine nobis, non vult » ſaluare nos ſine nobis, vt ipſe docet Auguſti- » nus: & pertinet ad nos vt boni ſimus, acci- » pere, & habere quod dat, qui de ſuo bonus » eſt, quo quiſque neglecto, de ſuo malus eſt, vt docet idem Sanctus Auguſtinus epiſtola 54. ad Macedonium tomo 2.

Sermone 15. de verbis Apoſtoli.

Quod ſequitur in Sancto Auguſtino, de adiutorio perſeuerantiæ; *Quo perſeuerantia ipſa donatur, vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint*; Hoc etiam intelligendum eſt de his, qui gratiam in ſe ſuſcipiunt: habent enim tunc adiutorium tale, quo perſeuerantes ſunt, modò velint, & gratiam Dei iam in ſe ſuſceptam non negligant, vt patet ex textu Sancti Auguſtini ſupra allegato: & hoc ita verum eſt, vt nunquam perſeuerantes eſſe poſſint, niſi velint. Conſenſus

Digitized by Google

enim eorum omnino neceſſarius eſt, vt poteſt etiam elici ex Sancto Auguſtino ſermone 7. de verbis Apoſtoli tomo 10. Petit (Apoſtolus ab Epheſ.3.
» Epheſijs) vt non infirmentur; quod non fa-
» ceret, niſi eorum vellet excitare voluntatem:
» ſic enim reſponderent, quid nos petis? quod
» in poteſtate non habemus. Nunquid non vi-
» derentur iuſtum tibi reddidiſſe reſponſum? &
» tamen Apoſtolus, niſi ſciret eſſe in eis volun-
» tatis propriæ conſenſionem, vbi & ipſi ali-
» quid agerent, non diceret Peto, & ſi diceret
» Iubeo, niſi eos noſſet adhibere poſſe juſſioni
» ſuæ voluntatem; ſine cauſa hoc verbum de ore
eius procederet. Atque vt clarius omnibus innoteſcat, hanc ſolutionem, ſi velint, non meam eſſe, ſed ab ipſo Auguſt. petitam, ſciat quilibet lector Sanctum Auguſtinum, cum de perſeuerantia loquitur, ſemper addere ſi velint, cum liberum ſit illis perſeuerare ad tempus, vel perſeuerare vſque ad finem *his verbis*, Aſſerimus
» ergo donum Dei eſſe perſeuerantiam, qua
» vſque in finem perſeueratur in Chriſto; finem
» autem dico, quo vita iſta finitur, in qua tan-
» tummodo periculum eſt, ne cadatur. Cadere
» autem non poteſt, niſi propria voluntate, ergo
» gratiam Dei poteſt reijcere. Addit Auguſtinus,
» Itaque vtrum quiſque hoc munus acceperit
» quandiu hanc vitam ducit, incertum eſt: ſi
» enim priuſquam moriatur cadat, non perſe-

Digitized by Google

„ ueraſſe vtique dicitur; & veriſſimè dicitur: „ quomodo ergo perſeuerantiam, qui non per- „ ſeuerauit accepiſſe vel habuiſſe dicendus eſt? „ Nam ſi habeat aliquis continentiam, & ab ea „ decidat, atque incontinens fiat: ſi iuſtitiam „ ſimiliter, ſi patientiam, ſi ipſam fidem, recte „ dicitur habuiſſe, & non habere, & quæ ſe- „ quuntur in hoc cap. 1. de dono perſeuerantiæ, quæ nimis longum eſſet tranſcribere, & ſimilia quæ habentur in cap. 6.

Quod ſequitur in Sancto Auguſtino; *Quod non ſolum dixit, Sine me nihil poteſtis facere, verum etiam dixit, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*; Non magis iuuat Ianſenij Sententiam, quia hæc verba, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, non pertinent, ad electionem ad vitam æternam, ſed tantum ad electionem ad Apoſtolatum, vt patet ex cap. 6. Ioannis verſ. 7. vbi Chriſtus dicit, Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? ſi enim de prædeſtinatione ad gloriam ibi ageretur, omnes perſeueraſſent. Præterea Chriſtus elegit hos duodecim, ex quibus vnus fuit proditor inter multos alios diſcipulos, qui & ipſi aut ſaltem multi electi ad gloriam, & hos duodecim ſpeciatim ad Apoſtolatum tanquam ad magiſtratum, vt patet ex cap 6. Lucæ v. 13. vbi Chriſtus cum dies factus eſſet, vocauit diſcipu-

Digitized by Google

los ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit. Quod patet etiam ex verbis, quæ refert Sanctus Auguſtinus, Non vos me elegiſtis. Non enim Apoſtoli poterant Chriſtum eligere ad gloriam cœleſtem.

Nec etiam iuuat Ianſenij ſententiam quod addit Sanctus Auguſtinus; *Quibus verbis eis non ſolum iuſtitiam, verum etiam in illa perſeuerantiam ſe dediſſe monſtrauit*; Quia ſemper intelligendum eſt Chriſtum illis dediſſe poteſtatem, & modum quo perſeuerarent, ſi vellent: quod patet etiam exemplo ipſius Iudæ Iſcariotis, qui licet electus eſſet, vt cæteri, & poterat perſeuerare ſi voluiſſet, tamen neglecta vocatione & electione proditor euaſit.

Nec etiam iuuat Ianſenium quod ſequitur in Sancto Auguſtino. *Chriſto enim ſic eos ponente vt eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere forſitan non manebit?* Hæc enim intelligenda ſunt de mandato, quod dedit illis Chriſtus, vt irent Euangelizatum per omnes gentes, ſicut Lucæ nono verſ. 2. Chriſtus miſit illos prædicare regnum Dei. Et Marci 16. v. 5. Mandatum dedit eis, vt euntes in mundum vniuerſum prædicarent Euangelium omni creaturæ, nempe vt fructum afferant, & fructus eorum maneat, nempe conuerſio omnium gentium, quæ ab illis, & eorum ſucceſſoribus facta in æternum manebit, vnde & fructus vitæ æternæ orietur.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis.

TEXTVS ſequens ex cap. 11. de correptione & gratia, quia longus, à nobis in ſectiones diuidetur. Sic incipit. *Tale quippe erat adiutorium, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret vt vellet, hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam; ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua fit, vt habeat homo iuſtitiam ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.*

Vnde nihil colligi poteſt, quod Ianſenij ſententiam promoueat: nemo enim negat ampliori continua & ad omnes actus, opus eſſe homini lapſo gratia Dei, quam ante lapſum; ante eum enim homo conſtitutus erat rectus, & rectam & bonam habebat voluntatem, in qua permanere poterat, ſi voluiſſet; nec opus habebat gratia, vt fieret vt vellet, cum ipſe per ſe ipſum, bene velle potuiſſet: poſt lapſum vero, cum in omnibus actibus indigeat gratia Chriſti propter infirmatam naturam, opus habet gratia Dei, vt velit, vt carnis concupiſcentiam diuino vincat auxilio.

Sequela textus S. Auguſtini. *Nec illa quidem*

parua

parua erat, quo demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrij; quoniam ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret, ſed hoc adiutorium ſi vellet deſereret: Hæc autem tanto maior eſt, vt parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique non poſſe ſine illa apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur vt velit.

Huic textui cum ſit idem cum præcedente eadem noſtra competit explicatio, nempe hominem lapſum non habere à ſe bonam voluntatem, ſed illam expectare à Dei gratia.

Sequela eiuſdem textus. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe cum fecerat, qui fecerat rectum, dederat & adiutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet; vt autem vellet in eius libero reliquit arbitrio.*

Hæc nulla explicatione indigent, cum doceat hîc tantum Sanctus Auguſtinus in libero hominis arbitrio ante lapſum poſitum fuiſſe vt bene velle poſſet; poſt lapſum verò hominem indigere gratia Dei, vt bene velle poſſit, & vt eius arbitrium à gratia moueatur, ita tamen vt ſit illi liberum conſentire aut diſſentire. Fides » enim Catholica neque liberum arbitrium ne- » gat, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam ne- » que tantum ei tribuit vt ſine gratia valeat aliquid, vt docet Sanctus Auguſtinus epiſtola » 47. Et nemo bene libero arbitrio vti poteſt

Digitized by Google

» niſi per gratiam, vt docet idem Sanctus Auguſtinus lib. 1. ad Bonif. cap. 24. & proinde male ageretur cum homine lapſo, ſi in ſuo ſolo relinqueretur arbitrio, nec iuuaretur per gratiam.

Sequela eiuſdem textus, *Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum, & tanto amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, vt non ſolum adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verumetiam tantum ac tale ſit vt velimus. Eſt quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perſeueranter tenendo, non ſolum poſſe quod nolumus, verum etiam velle quod poſſumus; quod non fuit in primo homine, vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.* Hæc omnia nulla explicatione indigent, & confirmant eam, quam iam attulimus. Atque vt omnibus appareat vera & genuina, audiat Lector idipſum dicentem Sanctum Auguſtinum in verbis ſequentibus. Namque vt re-
» ciperet bonum gratiâ non egebat, quia nun-
» dum perdiderat: vt autem in eo permaneret,
» egebat adiutorio gratiæ, ſine quo id omni-
» no non poſſet, & acceperat poſſe ſi vellet,
» ſed non habuit velle quod poſſet; nam ſi ha-
» buiſſet, perſeueraſſet, poſſet enim perſeuera-
» re, etiam ſi vellet, quod vt nollet, de libero
» deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum

» erat, vt bene velle poſſet & malè.

Poſt hæc iudicet Lector, cui bono Ianſenius & eius collector hunc Sancti Auguſtini textum producant, vt doceant gratiam Chriſti eſſe ſemper efficacem: & hoc eſt quodquemlibet Lectorem monitum velim, qui voluerit Ianſenium legere, vt à titulis capitum & librorum ſibi caueat, omnia enim promittit & nihil præſtat, ſic plus eſt in titulis quàm in capitibus, & profecto ſunt tituli ſine re.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis.

TEXTVS ſequens non maioris eſt momenti ad Ianſenij ſententiam tuendam ex cap. 12. de correptione & gratia, cuius hæc ſunt verba. *Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id eſt in bono perſeuerantiam primus homo, ſed perſeuerare, vel non perſeuerare in eius libero relinquetur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ ſine vllo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſe ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, vt dignè tantæ bonitati & bene viuendi facilitati perſeuerandi committeretur arbitrium; Deo quidem præſciente quid eſſet facturus iniuſtè, præſciente tamen, non ad hoc cogente, ſed ſimul ſciente quid de illo ipſe faceret iuſte. Nunc verò poſtea quam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam maioribus do-*

Digitized by Google

nis adiuuanda remanſit infirmitas.

Hæc ſatis per ſe nota ſunt, nec vlla explicatione indigent. Monendus tantum Lector vt conſideret, an inde poſſit colligi vllum veſtigium gratiæ Chriſti ſemper efficacis.

Sequela textus; *Ac per hoc nec de ipſa perſeuerantia boni voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, quia eis non ſolum dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poßint perſeuerare ſi velint, ſed in eis etiam operatur & velle, vt quoniam non perſeuerabunt, niſi & poßint & velint, perſeuerandi eis poßibilitas & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur: Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poßint, quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur vt velint.*

Et hæc etiam omnia amplectimur, nec probant gratiam Chriſti eſſe ſemper efficacem, etiamſi Deus operetur in homine & velle & perſeuerare, quia nulli volunt nec vlli perſeuerant, ſine gratia Dei: ſed non omnes quibus offertur, eam amplectuntur, quin multi etiam amplexam negligunt. Quod ſi non eſſet, fruſtra Apoſtolus moneret Timotheum, ne negligeret gratiam, quæ illi data erat. Et Sanctus Auguſtinus nos docet, Deum quidem agere in nobis vt velimus, & credamus, atque ad id nos impellere ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus; conſentire autem vel diſſentire propriæ voluntatis eſſe, quod vberioribus verbis exagerat lib. de

1. Thimot. 14.

Digitized by Google

Spiritu & littera cap. 24. Vnde ſatis liquet, & ſi Deus nobis det velle & perſeuerare, hoc fore inutile, niſi noſter accedat aſſenſus, anima enim noſtra non poteſt accipere dona Dei, niſi conſentiendo; accipere enim & habere accipientis & habentis eſt.

Sequela textus Auguſtini. *Nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, vt adiutorio Dei, ſine quo perſeuerare non poſſent, manerent ſi vellent, inter tot ac tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeuerare non poſſent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis vt poſſent. Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideo, quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, vt voluntas humana inualida & imbecilla in bono adhuc paruo perſeueraret per virtutem Dei, cum & voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeuerauerit, habens virtutem liberi arbitrij, quamuis non de futuro adiutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeuerare ſi vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur vt vellet.*

Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet; infirmis ſeruauit, vt ipſo donante inui-

Digitized by Google

ctiſsime quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inuictiſsime nollent.

Conſtat quidem ex his amplius dari auxilium gratiæ poſt lapſum quàm ante lapſum: ſed non inde conſtat gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, quæ nunquam ſuam ſortitur efficaciam, niſi per aſſenſum voluntatis. Deus enim ita vult homines ſaluare, ſi & ipſi velint, vt docet Hylarius, ſiue ſcriptor Commẽtariorum in epiſt. Pauli, quæ inter Ambroſiana leguntur, Miſericordia enim Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur, teſte eodem Sancto Auguſtino lib. 1. quæſt. 2. ad Symplicianum vt enim velimus, & ſuum eſſe voluit & noſtrum. Nec iuuat Ianſenium quod hîc dicitur ſubuentum eſſe infirmitati voluntatis humanæ vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, neque etiam hæc verba vt ipſo, donante inuictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inuictiſſimè nollent: hoc eſt enim ſemper intelligendum de his qui gratiam in ſe ſuſceperunt, qui quamdiù illam retinent, & illam non negligunt, non mirum ſi indeclinabiliter & inſuperabiliter agantur, & quod bonum eſt, inuictiſſimè velint, & illud deſerere inuictiſſimè nolint; Deus eſt enim in illis, & ſpiritu Dei aguntur.

Quidquid ſit autem de ſenſu huius textus & præcedentium, ſe poſitâ omni explicatione, quis,

Digitized by Google

niſi delirus & mente captus, poteſt inde colligere gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, vel gratiam Dei ſemper neceſſariò determinare & neceſſitare voluntatem ad vnum, aut homines habere immutabilitatem voluntatis, vt Angeli & beati homines, quod nobis obtrudere conatur Ianſenius; Calumniaturque Sanctum Auguſtinum hæc tam abſurda docuiſſe, licet nullum textum edere poſſit, ex quo quilibet ſanæ mentis hoc vnquam ſuſpicari poſſit.

EXPLICATIO SEQVENTIS textus.

EX cap. 15. lib. de prædeſt. Sanctorum; *Humana hîc merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Multum laborauit Ianſenius in perquirendo hoc textu apud Auguſtinum, & collector in colligendo illum & redigendo ſub capite de gratia ſemper effaci, vt ſuum probaret intentum. Certè perfrictæ frontis ſunt iſti, qui tam aliena à propoſito congerunt, vt falſa, & abſurda probent, quid hîc dicam, niſi vt regnet, quæ regnat, Dei gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & conticeſcat Ianſenius & collector eius.

Digitized by Google

EXPLICATIO CAPITIS ſequentis.

LIBRO de gratia Chriſti cap. 5. *Tria iſta, vnum, quod eſt poſſe; alterum, quod eſt velle; tertium, quod eſt eſſe: id eſt, poßibilitatem, voluntatem, actionem, tanta ſubtilitate curauit diſtinguere; vt quandocumque legimus vel audimus diuinæ gratiæ adiutorium confiteri, vt à malo declinemus, bonumque faciamus, ſiue in lege atque doctrina, ſiue vbilibet conſtituat ſciamus quod loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo quàm ſentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem noſtram, nec actionem diuino credit adiuuari auxilio, ſed ſolam poßibilitatem voluntatis atque operis, quam ſolam in his tribus nos habere affirmat ex Deo.*

Neſcio quomodo non puduit Ianſenium proferre hunc textum ad ſuam probandam Sententiam, & eius Collectorem illum redigere ſub hoc titulo, de gratia Dei ſemper efficaci, cum non magis longè cœlum diſtet à terra, quàm cogitatio Auguſtini diſtat à mente Ianſenij. Tantum enim abeſt, vt hic textus poſſit produci ad probandum gratiam ſemper efficacem, cum ſit tantum relatio doctrinæ Pelagij, quam hîc refert Sanctus Auguſtinus, vt conſtat ex verbis præcedentibus obmiſſis à Ianſenio, & eius Collectore, *quæ hæc ſunt*, Ecce eſt totum dogma Pelagij

„ lagij in libro eius tertio pro libero arbitrio, „ his omnibus verbis diligenter expreſſum, quo „ tria iſta , & quæ ſequuntur ſupra tranſcripta.

Videat ergo lector, & miretur Ianſenij ſtupiditatem vel impudentiam, qui ad probandam ſuam Sententiam de gratia Dei ſemper efficaci, non erubeſcit producere ſub nomine Sancti Auguſtini Pelagium, qui penitus oppugnabat gratiam.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis. Ibidem Capite 6.

QVIQVE ipſam poßibilitatem gratiæ ſuæ ſemper adiuuat auxilio, vt ſcilicet in voluntate & actione non ideo laus ſit & Dei & hominis, quia ſic vult homo, vt tamen eius voluntati Deus ardorem dilectionis inſpiret.

Certè miror hominis ineptiam, qui tam aliena à propoſito producit. Quid enim hoc ad ſtabiliendam gratiam ſemper efficacem? nec ad aliud valet quam ad probandum cœcitatem Ianſenij, qui non vt etiam ſupra Sanctum Auguſtinum ſed Pelagium profert; nec bona fide profert, ſed ipſe ſibi textum continuum parat, confectum tamen ex diuerſis partibus. Sic enim Sanctus Auguſtinus refert Pelagij verba; *Sed ne nihil de gratia dixiſſe videretur, adiunxit, quique*

Digitized by Google

ipſam poßibilitatem gratiæ ſuæ ſemper adiuuat; auxilio. Non ait, ipſam voluntatem vel ipſam operationem, quod ſi diceret, non abhorrere à doctrina Apoſtolica videretur; ſed ait, ipſam poſſibilitatem. Illud videlicet ex tribus, quod in natura locauit gratiæ ſuæ, adiuuat ſemper auxilio, vt ſcilicet in voluntate & actione non ideo laus ſit & Dei & hominis; quia ſic vult homo, vt tamen eius voluntati Deus ardorem dilectionis inſpiret, & ſic operatur homo, vt tamen Deus cooperetur, ſine cuius adiutorio, quid eſt homo.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis. Ibidem Capite 25.

DESINAT dicere, quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare illius eſt, qui hoc poſſe donauit, qui hoc poſſe adiuuat; quod vero bene vel agimus, vel loquimur vel cogitamur, noſtrum eſt: Deſinat inquam iſta dicere, non ſolum enim Deus poſſe noſtrum donauit, atque adiuuat, ſed etiam velle & operari operatur in nobis. Hic textus valet quidem contra Pelagianos, aduerſus quos diſputabat Sanctus Auguſtinus, qui negabant Dei gratiam adiuuare voluntatem: aduerſus veros Catholicos, qui illam cum Sancto Auguſtino admittunt, nullius eſt valoris. non enim negamus Deum velle & opera-

Digitized by Google

ri in nobis ; Nemo enim bene velle & operari vult, niſi præeunte & præueniente Dei gratia, non tamen ſemper operante vt velimus & operemur, niſi cum & ipſi volumus: Cum enim nolumus, nos deſerit Dei gratia, vt ipſe nos docet Sanctus Auguſtinus tractatu 53. in Ioannem, vbi quærens quare Iudæi non poterant credere, citò reſpondet, quia nolebant. Et iterum quærens, quare Deus excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum; reſpondet, hoc etiam eorum meruiſſe voluntatem : vnde ſequitur gratiam Dei non eſſe efficacem, niſi cum volumus, & illi aſſenſum noſtrum præbemus.

EXPLICATIO CAPITIS ſequentis.

LIBRO 4. ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelagianorum.

Ita ne nondum euigilatis ? Non auditis ? Faciam vt ambuletis, faciam vt obſeruetis, poſtremò faciam vt faciatis. Quid adhuc vos inflatis ? nos quidem ambulamus, verum eſt, nos obſeruamus, nos facimus ; Sed ille facit, vt ambulemus & obſeruemus, vt faciamus : hæc eſt gratia Dei bonos faciens nos, hæc eſt miſericordia eius præueniens nos.

Hic Collector, & Ianſenius etiam vt arbitror,

Digitized by Google

citant libros integros, licet diuiſi ſint per capita, vt negotium faceſſant Lectoribus, & eos à perquiſitione locorum, quos citant, deterreant ne apud auctores mens illorum à ſua mente aliena deprehendatur: vt in hoc loco qui eſt cap. 6. quilibet Lector reperiet Sanctum Auguſtinum diſputare contra Pelagianos, qui negabant gratiam præuiam voluntati & poteſtati hominum, à quo errore vt eos abſtrahat Sanctus Auguſtinus, ſic eos alloquitur. *Nondum euigilatis? non auditis? faciam vt ambuletis, &c.*

Hoc vnum tantum ſatagens, vt priorem locum dent gratiæ, vt conſtat ex verbis Sancti Auguſtini in eodem cap. Quis prior dedit illi, & retribueretur ei, (& poſt pauca) qui meritum ante gratiam, & ideo iam contra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, vt retribuatur eis priores vtique dare quodlibet ex libero arbitrio, vt ſit gratia retribuenda pro præmio, & ſapientes intelligant, vel fideliter credant etiam quod ſe putant priores dediſſe ab illo, ex quo ſunt omnia, per quem ſunt omnia, in quo ſunt omnia, percepiſſe.

Vnde apparet hunc locum non poſſe inſeruire gratiæ efficaci, dequa non agebatur cum Pelagianis, qui abſolutè gratiam oppugnabant, vel ſaltem illam voluntati ſuæ poſtponebant, & ab eis tantum exigebatur, vt gratiam ſuæ voluntati præponerent, quod diſertis verbis explicat

Digitized by Google

Fulgentius, Sanĉti Auguſtini diſcipulus, libro de
„ Prouidentia cap. 16. Proinde ſi quis dicit
„ meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ
„ eſt adiuuare, mutet igitur dictorum ordi-
„ nem, imo non mutet ſed ſeruet, nec quod
„ poſterius, eſt in priore loco, nec quod eſt prius
„ in loco poſteriori conſtituat: malè enim
„ ſuam gratiæ Dei voluntatem opponit; Cum
„ iſta bona eſſe non poſſit, ſi illa defuerit: non
„ enim dicat meum eſt velle credere, Dei au-
„ tem gratiæ eſt adiuuare, ſed dicat gratiæ Dei
„ eſt adiuuare, vt ſit meum velle credere, tunc
„ enim verè rectéque, ait; Eius hoc velle, cum
eum gratia præueniens cœperit adiuuare.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis.

LIBRO de Gratia & libero arbitrio capite 15.

Meminerimus Deum dicere; ſed conuertimini & viuetis, cui dicitur Conuerte nos Deus: Meminerimus Deum dicere, proijcite à vobis omnes impietates veſtras, cum ipſe iuſtificet impium: Meminerimus ipſum dicere, facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum qui dicit, Dabo vobis cor nouum & ſpiritum nouum dabo in vobis. Quomodo ergo quod dicit; Facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? quare iubet, ſi ipſe daturus eſt? quare dat, ſi homo facturus

Digitized by Google

eſt, niſi quia dat quod iubet, cum adiuuat, vt faciat cui iubet.

Meminerimus Ianſenium à Deo fuiſſe excæcatum, vt non modo non ſibi inſeruientia, ſed aduerſantia producat. Sanctus Auguſtinus enim hæc omnia dicit, non vt doceat gratiam Chriſti eſſe ſemper efficacem, imo vt doceat nunquam eſſe efficacem, niſi accedat hominis voluntas, libera, ad velle aut non velle, ſic aſtruendo liberum arbitrium, quod magis apparebit ex integra lectione huius capitis, ex quo hæc pauca tranſcribemus, ſic incipit: Ne autem putetur „ nihil ibi facere ipſos homines per liberum arbitrium, ideo in pſalmo dicitur. Nolite obdurare corda veſtra, &c. Item meminerimus „ Deum dicere, ſed conuertimini & viuetis, cui „ dicitur Conuerte nos Deus. Meminerimus „ Deum dicere, Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, cum ipſe iuſtificet impium, „ &c. Et poſt pauca, Semper autem eſt in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Atque vt clarius innoteſcat Lectori Sanctum Auguſtinum non docere hîc vt nec alibi, gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, imo efficaciam eius pendere à voluntate hominum, audiat „ hæc Sancti Auguſtini verba: Per hanc (ſuple „ gratiam) etiam fit, vt ipſa bona voluntas, „ quæ iam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, vt poſſit implere diuina mandata

Digitized by Google

„ quæ voluerit (nota) cum valde perfectéque „ voluerit: ad hoc enim valet quod ſcriptum „ eſt, Si volueris, conſeruabis mandata, vt ho„ mo qui voluerit & non potuerit, nondum ſe „ plene velle cognoſcat, & oret vt habeat tan„ tum voluntatem, quanta ſufficit ad implen„ da mandata.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, De gratia & libero arbitrio Cap. 16.

CERTVM eſt nos mandata ſeruare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit vt ea volendo faciamus: certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò ante poſui, præparatur voluntas à Domino, de quo dictum eſt à Domino, Greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet, de quo dictum eſt, Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis.

Hic textus nihil aliud dicit quàm præcedens: vult enim tantum hîc docere Sanctus Auguſtinus, etiam ſi certum ſit, nos mandata

ſeruare ſi volumus, tamen opus eſſe gratia, quæ faciat vt velimus. Quod clarius apparet ex his, quæ dicit Auguſtinus ſtatim poſt initium ca-
» pitis, Denique ipſe, qui dixit ſi volueris con-
» ſeruabis mandata, in eodem libro Eccleſia-
» ſtico aliquanto poſt dicit, Quis dabit in ore
» meo cuſtodiam,&c.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis. Ibidem Cap. 17.

QVONIAM ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apoſtolus, Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet vſque in diem Chriſti. Vt ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur; tamen ſine illo vel operante vt velimus vel cooperante, cum volumus, ad bona, pietatis opera nihil valemus.

Superiores explicationes & hic ipſe textus ſatis apertè declarant nullum hîc de gratia Dei ſemper efficaci reperiri veſtigium, ſed tantum neminem poſſe bene velle, aut bene agere, niſi præuia & præueniente Dei gratia, quæ facit eos velle qui volunt, & eos facere qui faciunt.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Epiſtola 107. ad Vitalem.

QVAPROPTER vt in Deum credamus, & piè viuamus, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, non quia velle non debemus & currere, ſed quia ipſe in nobis operatur velle & currere.

Hic textus non magis iuuat Ianſenij ſententiam quàm præcedentes. In illo enim non agebatur de gratia, an ſemper ſit efficax vel non, ſed tantum an gratia debeat præcedere bonam voluntatem, an vero bona voluntas gratiam; quod poſtremum aſſerebant Pelagiani, & negabat Auguſtinus, qui prius aſſerebat; quod vt omnibus innoteſcat, Sancti Auguſtini teſtimonium imploro, qui ibidem cap. 8. ſic mihi ſuffragatur. » Recognoſcis me, inquit, vt puto in » ijs, quæ vos ſcire dixi, Non omnia, quæ ad fi- » dem Catholicam pertinent commemorare vo- » luiſſe, ſed ea tantum quæ ad iſtam, quæ inter- » nos agitur, de Dei gratia quæſtionem, vtrum » præcedat hæc gratia, an ſubſequatur hominis » voluntatem, hoc eſt vt planius id eloquar, » vtrum ideo nobis detur, quia volumus, an per » ipſam Deus, etiam hoc efficiat vt velimus.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, De prædeſtinatione Sanctorum, Cap. 6.

MVLTI audiunt verbum veritatis, ſed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi, quis hoc ignoret, quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio; Quod quærebat Iſraël, ait Apoſtolus, Hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt.

Cæteri verò excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt, dedit illis Deus Spiritum compunctionis; oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vſque in hodiernum diem; Et Dauid dicit, Fiat menſa eorum in laqueum, & in ſcandalum & in retributionem illis; Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Ecce miſericordia & iudicium: miſericordia in electione, quæ conſequuta eſt iuſtitiam Dei; iudicium verò in cæteros, qui excæcati ſunt, & tamen illi quia voluerunt, crediderunt, illi quia noluerunt, non crediderunt: Miſericordia igitur & iudicium in ipſis voluntatibus facta ſunt, electio quippe iſta gratia eſt, non meritorum, gratis ergo conſecuta eſt, quod conſecuta eſt electio, non præceßit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis: Pro nihilo enim ſaluos

Digitized by Google

fecit eos. Cæteris autem qui excæcati ſunt, ſicut illi non tacitum eſt, in retributione factum eſt, vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, inueſtigabiles ſunt autem viæ eius: inueſtigabiles igitur ſunt & miſericordia qua gratis liberat, & veritas quâ iuſtè iudicat.

Hoc integrum ſextum Caput à Ianſenio tranſcriptum eius ſententiam de gratia ſemper efficaci non ſtruit, ſed deſtruit; Cauſa enim reprobationis, quæ hîc aſſignatur à Sancto Auguſtino, eorum qui excæcati ſunt, eſt, quod cum audiſſent Verbum veritatis, alij crediderunt, alij contradixerunt; volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi. Quod iterum repetit Sanctus Auguſtinus, cum de iudicio & miſericordia Dei loquitur; Ecce, inquit, miſericordia & iudicium; miſericordia in electione, quæ conſecuta eſt iuſtitiam Dei; iudicium verò in cæteros, qui excæcati ſunt, & tamen illi quia voluerunt crediderunt, illi quia noluerunt, non crediderunt, & qui ſalui fiunt, gratis ſaluantur, non enim præceſſit eorum aliquid quod priores darent & retribueretur illis: illi verò qui noluerunt credere, & idcircò excæcati ſunt, quod excæcati ſunt, iuſto Dei iudicio in retributionem factum eſt; Vnde liquet gratiam non eſſe ſemper efficacem, cum efficax fuerit in eis qui crediderunt, inefficax autem in eis qui credere noluerunt, id eſt, qui gratiam Dei reſ-

Digitized by Google

puerunt, & vocationem ſuam contempſerunt: Quomodo alibi docuit Sanctus Auguſtinus de Eſaü, qui vocatione contemptâ reprobus factus eſt, & currere noluit cum potuiſſet, currere ſi voluiſſet: nec enim dubium eſt hîc, eos, qui noluerunt credere, & idcircò excæcati ſunt, fuiſſe vocatos, cum hîc dicatur eos audiuiſſe Verbum veritatis: & cum hîc dicatur non credidiſſe, quia noluerunt, conſequens eſt, vt potuerint velle, niſi nolle potius elegiſſent.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis. Ibidem Cap. 7.

SED forſitan dicent ab operibus fidem diſtinguit Apoſtolus, gratiam verò non ex operibus eſſe dicit: Non autem dicit quod non ſit ex fide. Ita verò eſt, ſed ipſam quoque fidem opus Dei dicit eſſe Ieſus, & hanc vt operemur iubet: Dixerunt enim ad eum Iudæi, Quid faciemus vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus, & dixit eis, Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille. Sic ergo diſtinguit Apoſtolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum, diſtinguitur Iudas ab Iſraël, cum & ipſe Iudas ſit Iſraël, ex fide autem ideò dicit iuſtificari hominem non ex operibus, quia ipſa prima datur ex qua impetrentur; Cætera, quæ propriè opera nuncupantur: In quibus iuſtè viuitur, nam dicit etiam ipſe, gratia ſalui

Digitized by Google

eſtis facti per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt; id eſt & quod dixi per fidem non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Etiam fides non ex operibus, inquit, ne forte quis extollatur: ſolet enim dici, Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet: Quod de Cornelio dici poteſt, cuius acceptæ ſunt eleemoſinæ, & exauditæ orationes antequam credidiſſet in Chriſtum: Nec tamen ſine aliqua fide donabat & orabat; nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? ſed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus, quamuis Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: & dicitur nobis, fides eſt à nobis, Cætera à Domino, ad opera iuſtitiæ pertinentia, quaſi ad ædificium inquam non pertineat fundamentum: Quod ſi inprimis & maximè pertinet, In vanum laborat prædicando ædificans fidem, niſi eam Dominus miſerando intus ædificet, quidquid igitur & antequam in Chriſtum crederet: Et cum credidiſſet bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne forte quis extollatur.

In hoc capite ſeptimo nullo modo agitur de gratia, ſed de fide, itaque abſolutè inutiliter productum.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis. Ibidem Cap. 8.

PROINDE ipſe vnus Magiſter & Dominus cum dixiſſet, quæ ſupra commemoraui, Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum quem miſit ille, in eodem ſermone ſuo paulo poſt ait, Dixi vobis, quia & vidiſtis me & non credidiſtis: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Quis eſt ad me veniet, niſi credet in me? Sed vt fiat Pater dat.

Item paulò poſt, Nolite, inquit, murmurare inuicem: Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum, & ego eum reſſuſcitabo in nouiſſimo die. Et ſcriptum eſt in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei, omnis qui audiuit à Patre & didicit venit ad me, niſi nullus eſt qui audiat à Patre & diſcat à Patre, & non veniat ad me: ſi enim omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit, profecto omnis qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit. Nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret; neque enim vllus audiuit ac didicit & non venit. Omnis vt ait Veritas, qui audiuit à Patre & didicit, venit. Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur & docet vt veniatur ad filium, ibi eſt & ipſe filius, quia ipſe eſt Verbum eius per quod ſi docet, nec agit cum carnis aure ſed cordis, ſimul eſt & ibi Spiritus Patris & Filij: neque enim ipſe non docet aut ſeparatim docet, inſeparabilia

Digitized by Google

quippe didicimus eſſe opera Trinitatis , & ipſe eſt vtique Spiritus ſanctus , de quo Apoſtolus dicit, Habentes autem eundem ſpiritum fidei ; ſed ideo Patri hoc potiſſimum eſt attributum , quia de ipſo eſt genitus vnigenitus , & de ipſo procedit Spiritus ſanctus. Vnde longum eſt enucleatius diſputare , & de Trinitate quæ Deus eſt , laborem noſtrum in quindecim libris ad vos iam exiſtimo perueniſſe. Valde inquam remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola , in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad filium , quia multos videmus credere in Chriſtum : ſed vbi & quomodo à Patre audierint , hoc & didicerint , non videmus ; nimium gratia iſta ſecreta eſt , gratiam verò eſſe quis ambigat ? Hæc itaque gratia , quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur , à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur , vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur , & docet vt veniatur ad Filium , aufert cor lapideum , & dat cor carneum , ſicut Propheta prædicante promiſit : Sic quippe facit filios promiſſionis , & vaſa miſericordiæ , quæ præparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet vt veniant ad Chriſtum , niſi quia omnes quos docet miſericordia docet , quos autem non docet iudicio , non docet , quoniam cuius vult miſeretur , & quem vult obdurat : ſed miſeretur bona tribuens , obdurat digna retribuens ; Aut ſi & iſta , vt quidam diſtinguere maluerunt , verba ſunt eius , cui Apoſtolus ait , Dicis itaque mihi , vt ipſe dixiſſe accipiatur :

Digitized by Google

Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat; & quæ ſequuntur, id eſt quid adhuc conqueritur: Nam voluntati eius quis reſiſtit? Nunquid reſponſum eſt ab Apoſtolo: O homo falſum eſt quod dixiſti, non, ſed reſponſum eſt: O homo tu quis, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quare ſic me feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem facere maſſa, & ſequentia, quæ optime noſtis, & tamen ſecundum quendam modum, omnes Pater docet venire ad Filium ſuum: non enim fruſtra ſcriptum eſt in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei. Quod teſtimonium cum præmiſiſſet, tunc ſubdidit, Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me: Sicut ergo integre loquimur cum de aliquo Litterarum Magiſtro, qui in ciuitate ſolus eſt, dicimus, Omnes iſte hic litteras docet, non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit, quicumque ibi litteras diſcit: Ita rectè dicimus, Omnes Deus docet venire ad Chriſtum, non quia omnes veniunt, ſed quia nemo aliter venit.

Cur autem non omnes doceat, aperuit Apoſtolus quantum aperiendum iudicauit: Quia volens oſtendere iram & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem, & vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hinc eſt quod verbum Crucis pereuntibus ſtultitia eſt: His autem qui ſalui fiunt, virtus Dei eſt. Hos omnes

Digitized by Google

omnes vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; nam ſi & illos, quibus ſtultitia eſt verbum crucis, vt ad Chriſtum venirent, docere voluiſſet, proculdubio venirent & ipſi; non enim fallit aut fallitur, qui ait, Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Abſit ergo vt quiſquam non veniat, qui à Patre audiuit & didicit: Quare inquiunt non omnes docet. Si dixerimus quia nolunt diſcere quos non docet, reſpondebitur nobis, & vbi eſt quod ei dicitur, Domine tu conuertens viuificabis nos? Aut ſi non facit volentes ex nolentibus Deus; quid orat Eccleſia ſecundum præceptum Domini pro perſecutoribus ſuis? Nam ſic etiam voluit intelligi Sanctus Cyprianus, quod dicimus, Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra; Hoc eſt ſicut in eis qui iam crediderunt, & tanquam cælum ſunt: Quid ergo oramus pro nolentibus credere, niſi vt Deus in illis operetur & velle? De Iudæis certè Apoſtolus ait, Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis fit in ſalutem: Orat pro non credentibus, quid niſi vt credant? non enim aliter conſequuntur ſalutem: Si ergo fides orantium Dei præuenit gratiam, Numquid eorum fides pro quibus oratur, vt credant, Dei præuenit gratiam? Quandoquidem hoc pro eis oratur, vt non credentibus, id eſt, fidem non habentibus, ipſa fides donetur.

Cum igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: ſed qui credunt præ-

Digitized by Google

dicatorem forinſecus inſonantem intus à Patre audiunt, atque diſcunt; Qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt, hoc eſt illis datur vt credant, illis non datur; quia nemo, inquit, Venit ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Quod apertius poſtea dicitur, Nam poſt aliquantum cum de carne ſua manducanda, & bibendo ſanguine ſuo loqueretur, & dicerent etiam quidam diſcipulorum eius, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Sciens Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius: dixit eis, Hoc vos ſcandalizat: & paulò poſt, Verba, inquit, quæ ego loquutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt: Et mox Euangeliſta, Sciebat enim, inquit, ab initio Ieſus, qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum: & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Ergo trahi à Patre ad Chriſtum, & audire ac diſcere à Patre vt veniat ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quàm donum accipere à Patre, quo credat in Chriſtum: Neque enim audientes Euangelium à non audientibus, ſed credentes à non credentibus diſcernebat, qui dicebat, Nemo venit ad me, niſi ei fuerit datum à Patre meo. Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei eſt, & hoc donum quibuſdam dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſsimis ſacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non de-

bet, qui credit ex vno omnes eſſe in condemnationem, ſine dubitatione & iuſtiſſimam: Ita vt nulla Dei eſſet iuſta reprehenſio, etiam ſi nullus inde liberaretur; Vnde conſtat magnam eſſe gratiam quod plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur in eis, qui non liberantur agnoſcant, vt qui gloriantur non in ſuis meritis quæ paria vident eſſe damnatis, ſed in Domino glorientur: Cur autem iſtum potius quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Melius enim hîc audimus & dicimus, O Homo tu quis es, qui reſpondeas Deo, quam dicere audeamus, quaſi nouerimus, quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid iniuſtum velle non potuit.

Hic textus licet prima fronte Ianſenio quodammodo ſeruire videatur, tamen illum non magis iuuat quàm cæteri. Ibi enim agitur de gratia prædeſtinatorum; vt apparet ex ipſo titulo libri, vnde excerptus eſt; quam gratiam non negamus efficacem: Non enim dicimus nullam Dei gratiam eſſe efficacem, ſed tantum non eſſe ſemper efficacem, & numquam poſſe eſſe efficacem, niſi accedat hominis aſſenſus. Prædeſtinati autem & electi gratiam Dei non reſpuunt, imò illam amplectuntur: Vocat enim illos Deus, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici Filij ſui, non ea vocatione qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias: Ita vt nihil illis deſit in vlla gratia expectantibus reuela-

Digitized by Google

tionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit illos vſque in finem, quos præſciuit & prædeſtinauit, conformes imagini filij ſui, vocans illos, non quacumque vocatione, ſed qua vocatione fit credens: non de qua dicitur Multi vocati, ſed illa qua vocantur electi; & ad hanc vocationem pertinent omnes docibiles Chriſti, quorum nemo perit, quia omne quod Pater dedit Filio, ex eo non perdet quemquam: Vt latius explicat Sanctus Auguſtinus ibidem cap. 16. Itaque non mirum eſt, ſi hæc gratia à nullo duro corde reſpuatur, cum in prædeſtinatis duritia cordis primitùs auferatur, vt trahentem Chriſtum liberè ſequantur: Quod tamen ſemper eſt in eorum poteſtate, vt ipſe confitetur Auguſtinus libr. de prædeſt. & Gratia cap. 15. de duobus hominibus Pharaone & Nabuchodonoſore, quos ambos Deus eodem modo, eadem vi conatus eſt trahere, his verbis. » Quantum ad naturam ambo homines » erant; quantum ad dignitatem, ambo Re» ges; quantum ad cauſam, ambo captiuum » populum Dei poſſidentes; quantum ad pœ» nam, ambo clementer admoniti. Quid ergo » fines eorum fecit eſſe diuerſos? Niſi quod » vnus manum Dei ſentiens, in recordatione » propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero con» tra miſericordiſſimam Dei veritatem pugnauit arbitrio. Vnde colligere licet nullam tan-

tam, & tam magnam eſſe vocationem, quæ neceſſariò ſit efficax, cum ſemper ſit in poteſtate hominis eam libero ſuo arbitrio repudiare: Vt iam ſupra docuimus, authoritate Sancti Chryſoſtomi; qui ſcribit Sanctum Paulum, cuius maximam conſtat fuiſſe vocationem, illam potuiſſe repudiare; licet de cœlo vocatus eſſet exemplo Iudæorum, qui Deo Patri de cœlis clamanti Chriſtum ſuum eſſe Filium dilectum, in quo ſibi bene complacuiſſet, non crediderunt, & reſponderunt eſſe deceptorem. Vnde concludo, gratiam nunquam eſſe neceſſariò efficacem ante aſſenſum voluntatis, ſicque tantam aliquando dari homini gratiam, vt infallibiliter accedat aſſenſus voluntatis, & conſequatur effectus, ſed nunquam neceſſariò.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis. De dono perſeuerantiæ, Cap. 13.

NON ergo volumus, ſed Deus operatur in nobis & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate, hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc eſt pium, hoc verum, vt ſit humilis & ſubmiſſa confeſsio & detur totum Deo.

Hic textus nulla indigeret explicatione, ſæpius enim iam diximus nemini Catholico du-

bium eſſe, quin Deus operetur in nobis & velle & operari, cum volumus aut operamur bene: ſed in arbitrio noſtro ſitum eſt & male velle & male operari, recuſatâ gratiâ Dei, quam nos poſſe aut amplecti aut reijcere ſæpius Sancti Auguſtini teſtimonijs probauimus.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis. Libro primo de peccatorum meritis, Cap. 5.

CVM ergo nobis iubet, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, noſque illi dicimus, Conuerte nos Deus ſanitatum noſtrarum & Deus virtutum conuerte nos, quid aliud dicimus, quàm, Da quod iubes. Cum iubet dicendo, Intelligite ergo qui inſipientes eſtis in populo, & nos illi dicimus, Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua, quid aliud dicimus, quàm Da quod iubes? Cum iubet docendo, Poſt concupiſcentias tuas non eas, noſque dicimus, Scimus quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, quid aliud dicimus, quàm, Da quod iubes. Cum iubet dicendo Facite iuſtitiam, noſque illi dicimus, Doce me iuſtificationes tuas, quid aliud dicimus, quàm Da quod iubes? item cum dicit, Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, à quo debemus petere cibum potumque iuſtitiæ, niſi ab illo, qui eſurientibus, & ſitientibus eam, promittit eius ſaturitatem?

Digitized by Google

Semper Ianſenius agit contra Catholicos tanquam contra Pelagianos. Quid enim hæc omnia probant, niſi homines ad Deum non poſſe conuerti, niſi Dei gratia ſint adiuti, quod nos dicimus, credimus, & docemus: negando tamen, gratiam Dei, vllam nobis neceſſitatem imponere, quin liberè eligamus, & in poteſtate noſtra ſit, gratiam Dei amplecti vel reijcere, ſic ſtatuentes gratiam vt non deſtruamus liberum arbitrium, hoc edocti ab eodem Sancto Auguſtino, qui in cap. ſequenti ſic loqui-
» tur. Nam qui dicunt eſſe poſſe in hac vita
» hominem ſine peccato, non eſt eis continuò
» incauta temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe
» poſſe negauerimus, & hominis libero arbitrio,
» qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel
» miſericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, de-
» rogabimus. Et paulò infra; In hac quadripar-
» tita propoſitione quæſtionum, ſi à me quæ-
» ratur, vtrum homo ſine peccato poſſit eſſe in
» hac vita, confitebor poſſe per Dei gratiam,
» & liberum arbitrium. Vbi clarè videtur Sanctum Auguſtinum gratiam cum libero arbitrio copulare, ita vt gratia præeat, & liberum arbitrium ſubſequatur, quo arbitrio ſi ad agendum opus eſt, ſi neceſſariò agat, iam amplius liberum non eſt.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, libro de Gratia & libero arbitrio, Cap. 16.

IPSE qui dixit, Si volueris conſeruabis mandata, in eodem libro Eccleſiaſtico aliquanto poſt dicit, Quis dabit in ore meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum aſtutum, ne forte eadem ab eo & lingua mea perdat me? Iam certè mandata acceperat; Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum. Cum ergo verum ſit quod dixit, Si volueris conſeruabis mandata, quare quærit, in ore ſuo dari cuſtodiam; ſimilis ei, qui dicit in pſalmo, Pone Domine cuſtodiam ori meo, quare non ei ſufficit mandatum Dei & voluntas ſua, quandoquidem ſi voluerit conſeruabit mandata? Quàm multa Dei mandata ſunt contra ſuperbiam; iam nouit ea; ſi voluerit, conſeruabit ea. Quare ergo paulo poſt ſi dicit, Domine pater, & Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne dederis mihi; Iam dixerat ei Lex Non concupiſces; Velit ergo, & faciat quod iubetur, quoniam ſi voluerit conſeruabit mandata: Quare ſequitur, & dicit Concupiſcentiam auerte à me: Contra luxuriam Deus quam multa mandauit? Faciat ea, quia ſi voluerit, conſeruabit mandata. Quid eſt quod clamat ad Deum ventris appetitio, & concubitus ne apprehendat me? Si hæc ei præſenti diceremus, rectiſſimè nobis reſponderet, & diceret ex iſta

oratione

Digitized by Google

oratione mea, quam hæc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim Si volueris conſeruabis mandata.

Certum eſt enim nos mandata ſeruare ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt vt tantum velimus, quantum ſufficit, vt volendo faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò ante poſui, Præparatur voluntas à Domino, de quo dictum eſt: A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet, de quo dictum eſt, Deus eſt qui operatur in vobis & velle. Certum eſt nos facere, cum facimus; ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dicit, Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis. Cum dicit, Faciam vt faciatis, quid aliud dicit, niſi Auferam à vobis cor lapideum: & dabo cor carneum vnde faciatis? Et hoc quid eſt niſi auferam, cor durum vnde non faciebatis, & dabo cor obediens vnde faciatis? Ille facit vt faciamus, cui dicit homo, Pone Domine cuſtodiam ori meo: hoc eſt enim dicere, Fac vt ponam cuſtodiam ori meo, quod beneficium Dei iam fuerat conſequutus, qui dixit, Poſui ori meo cuſtodiam.

Iterum atque iterum dico, Ianſenius nobiſcum agit, tanquam cum Pelagianis, aduerſus quos hæc omnia dirigit Sanctus Auguſtinus, cum quo & nos ſentimus; ſic nulla explicatione opus eſt.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis : Ex fragmento ſermonis S. Auguſtini ad populum contra Pelagianos, Tomo decimo.

ORAMVS ad Deum, ne quid faciatis mali, attendiſtis, audiſtis, accepiſtis, & quia manifeſtum eſt, ſine dubio intellexiſtis quid orauit Apoſtolus; Oramus inquit, ad Deum, ne quid faciatis mali. Poterat dicere Monemus vos, ne quid faciatis mali; docemus vos, ne quid faciatis mali; iubemus vobis, præcipimus vobis, quod quidem ſi diceret, certum diceret, quia & voluntas noſtra agit aliquid. Non enim voluntas noſtra nihil agit, ſed ſola non ſufficit, maluit tamen dicere, Oramus vt ipſam gratiam commendaret, vt intelligerent illi, quando non faciunt aliquid mali, non ſola ſua voluntate ſe vitare malum, ſed adiutorio Dei implere quod iuſſum eſt. Ergo fratres quando præcipitur, agnoſcite voluntatis arbitrium: quando oratur quod præcipitur, agnoſcite gratiæ beneficium; vtrumque enim in ſcripturis habes, & præcipitur, & oratur; Quod præcipitur hoc oratur. Videte quod dico, præcipitur, vt intelligamus, Nolite eſſe ſicut equus & mulus, non habentes intellectum: Audiſtis quid iuſſum eſt, pete vt poſsis implere quod iuſſum eſt: agnouiſti voluntatem, audi quia oratur vt agnoſcas gratiam: da mihi intellectum, vt diſcam

Digitized by Google

mandata tua. Iuſſum eſt vt habeamus ſapientiam, quia iuſſum eſt, lego vbi legis, inquit, audite: Qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite: Iam ille qui dicit, Vides quomodo nobis præcepit Deus vt ſapiamur, ergo ſapientia eſt in noſtra poteſtate.

Iam dixi, præceptum audiui, voluntatem cognoui, audi orationem, vt gratiam tu poßis agnoſcere. de ſapientia agitur quæ iuſſa eſt nobis, audiamus, quid dicat Apoſtolus Iacobus: Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter. Iubetur nobis continentia, vbi iubetur Apoſtolus ad Timotheum; continete ipſum, iußio eſt, præceptio eſt, audiendum eſt, faciendum eſt: ſed niſi Deus adiuuet, remanemus: conamur quidem facere voluntate, & nititur aliquid voluntas, non præſumat poteſtas, niſi adiuuetur infirmitas. Certe enim iuſſum eſt, Contine te ipſum: Audi alium locum Scripturæ, Et cum ſcirem inquit, quia nemo eſſe poteſt continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum, & quid, inquit, feci, adij Dominum, & deprecatus ſum. Quid opus eſt multa percurrere, fratres mei? quidquid nobis iubetur, orandum eſt vt impleatur, ſed non ſic vt dimittamus nos, & quomodo ægri iaceamus ſupini, & dicamus, Pluat Deus eſcas ſuper facies noſtras, vt prorſus nos nihil agere velimus, & cum eſca compluta fuerit ſuper os noſtrum: Dicamus etiam Deus glutiat. Et nobis aliquid, & nos agere debe-

Digitized by Google

mus, ſtudere debemus, conari debemus, & in eo gratias agere, in quo potuerimus; in eo quod non potuerimus, orare, &c. Cogitate ergo iſta, fratres mei: quiſquis ad vos acceſſerit, & dixerit vobis, quid ergo nos facimus, ſi nihil habemus in poteſtate, niſi Deus det omnia? Non ergo nos coronabit Deus, ſed ſe coronabit. Iam videtis quia de illa venit vena; Vena eſt, ſed venenum habet, percuſſa eſt enim à ſerpente: ſana non eſt; hoc enim agit hodie Satanas, quomodo per venena hæreticorum eijciat de Eccleſia, ſicut tunc per venena ſerpentis eiecit de paradiſo.

Hic textus non modo non fauet Ianſenij ſententiæ, ſed illam penitus deſtruit. Tantum enim abeſt, vt gratiam doceat ſemper eſſe efficacem vel liberum arbitrium determinari ad vnum; quin potius docet inutilem gratiam, niſi ex parte ſua cooperetur liberum arbitrium,
» quia & voluntas noſtra agit aliquid. Non
» enim voluntas noſtra nihil agit, ſed ſola non
» ſufficit, vnde dicit, quando præcipitur, agnoſ-
» cite voluntatis arbitrium; quando oratur
» quod præcipitur, agnoſcite gratiæ beneficium,
» vtrumque enim in Scripturis habes. Deinde
» conamur quidem facere voluntate, & nititur
» aliquid voluntas; non præſumat poteſtas, niſi
» adiuuetur infirmitas. Et eiuſmodi plura quæ tantum dicit aduerſus Pelagianos, qui negabant gratiam, & quæ non poſſunt obijci Catholicis, qui cum Sancto Auguſtino ſentiunt.

Digitized by Google

EXPLICATIO CAPITIS ſequentis, Libro de perfectione Iuſtitiæ, Capite decimo.

NEC ob aliam cauſam Scriptura commemorat non eſſe grauia diuina præcepta, niſi vt anima, quæ illa grauia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſunt præcepta Domini, qualia commendantur, leuia ſcilicet atque ſuauia; & oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facultatis: qui enim dicit, Fiat cor meum immaculatum, & Itinera mea dirige ſecundum verbum tuum, & Ne dominetur mei omnis iniquitas, & Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, & ne nos inferas in tentationem, & cætera eiuſmodi, quæ commemorare longum eſt: Hoc vtique orat, vt præcepta Dei faciat, quæ vt fierent, nec iuberetur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret, nec oraretur ſi ſola ſufficeret: commendanti ergo non eſſe grauia, vt cui grauia ſunt, intelligat nondum ſe accepiſſe donum, quo grauia non ſint, nec arbitretur ea ſe perficere, quando ita facit vt grauia ſint.

Neſcio quid mouit Ianſenium, & Collectorem eius tot locos Auguſtini, qui tantum valent aduerſus Pelagianos, qui abſolutè negabant gratiam Dei ad bene operandum neceſſariam, in vnum congerere ſub titulo gratiæ Dei ſemper efficacis, & illos vibrare in Catho-

licos qui gratiam Dei neceſſariam ad omnia opera bona credunt: Negantes tantum illam determinare voluntatem ad vnum, vt locum libero arbitrio relinquant. Eodem planè modo quo hîc Sanctus Auguſtinus, & alibi ſemper docuit; Nempè vt habetur in eodem capite paulò ante verba citata à Ianſenio; Parum eſſe
» noſtræ voluntatis arbitrium, niſi adiuuet gra-
» tia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum no-
» ſtrum, & cum oramus vt præcepta Dei fa-
» ciamus, nec iuberetur vt fierent, ſi nihil ibi
» noſtra voluntas ageret; nec oraretur ſi ſola ſufficeret. Vnde quidem ſequitur voluntatem noſtram iuuari, ſed non neceſſitari, aut determinari ad vnum.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro ſecundo ad Bonifacium, Cap. 10.

SI ſtudium quiſque, vt pro alijs habeat, Deus dat, vt pro ſe ipſo habeat, quis alius daturus eſt? Quæ cum ita ſint, nihil in ſcripturis ſanctis homini à Domino videre iuberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inueniatur, vel dari ab eius bonitate, vel poſci propter adiutorium demonſtrandum; nec omnino incipit homo ex malo in bonum commutari, niſi hoc in illo agat, indebita & gratuita miſericordia Dei.

Digitized by Google

Sic itaque Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonæ mutationis ſuæ vſque in finem conſummationis. Qui gloriatur, in Domino glorietur, quia ſicut nemo poteſt bonum opus inchoare ſine Domino, ſic nemo perficere ſine Domino.

Hæc omnia, vt iam ſæpe diximus, valent aduerſus Pelagianos, aduerſus quos ſcripta ſunt, non aduerſus Catholicos, qui Sancto Auguſtino adhærent.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro quarto ad Bonifacium, Cap. 9.

ORAMVS ergo non ſolum pro nolentibus, verumetiam pro repugnantibus & oppugnantibus: Quid ergo petimus, niſi vt fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes, à quo niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Deo. Diſcant ergo eſſe Catholici, qui dedignantur, ſi quid mali non faciunt, & ſi quid boni faciunt, non in ſe ipſis, ſed in Domino gloriari.

Hîc textus non plus operatur quàm cæteri in gratiam ſententiæ Ianſenij; nec valent quidquam aduerſus Catholicos, qui gratiam Dei non negant, ſed aduerſus Pelagianos, contra quos ſcripta ſunt, qui illam negabant.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de Gratia & libero arbitrio, Cap. 6.

HIS & talibus teſtimonijs diuinis probatur gratiam Dei, non ſecundum merita noſtra dari, quandoquidem non ſolum nullis bonis, verum etiam multis meritis malis præcedentibus, videmus datam, & quotidie dari videmus: ſed planè cum data fuerit, incipiunt eſſe etiam merita noſtra bona, per illam tamen: nam ſi ſe illa ſubtraxerit, cadit homo non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando cæperit homo habere, merita bona debet ſibi tribuere illa, ſed Deo, cui dicitur in Pſalmo, Adiutor meus eſto, ne derelinquas me: dicendo ne derelinquas me, oſtendit, quia ſi derelictus fuerit, nihil boni valet ipſe per ſe.

Hic textus non plus valet, quàm cæteri ad iuuandam Ianſenij ſententiam. Liber enim iſte de libero arbitrio tantum conſcriptus eſt à Sancto Auguſtino, aduerſus quoſdam Monachos adcumetinos, qui aſſerebant gratiam, ſecundum merita noſtra dari: Quos refellit Sanctus Auguſtinus. Et hunc locum etiam contra Ianſenium retorquere poſſum: ex eo enim concludere poſſum, merita noſtra fieri bona per gratiam, & per liberum arbitrium, quamdiu conſentit gratiæ: ſi enim gratia ſe ſubſtrahat, quod numquam

numquam facit, niſi illam prius homo deſerat, ſcilicet per diſſenſum, cadit homo, non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio; Ergo liberum arbitrium non neceſſitatur, aut determinatur ad vnum, ſed ſemper propriæ voluntatis eſt conſentire, aut diſſentire.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro tertio ad Bonifacium, Capite 8.

LEX Sancta, & Iuſta, & Bona, nec ipſa eſt gratia, & nihil ex ea rectè fit ſine gratia, quia non eſt data quæ poßit viuificare, ſed præuaricationis cauſa poſita eſt, vt conuictos concluderet ſub peccato, & promißio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus: & liberum arbitrium captiuatum, non niſi ad peccatum valet, ad iuſtitiam verò, niſi diuinitus liberatum adiutumque, non valet.

Hic textus, vt cæteri, nihil valet, niſi contra Pelagianos, aduerſus quos ſcriptus eſt: nec video, quid inde poſſit concludi in fauorem ſententiæ Ianſenij.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro ſecundo ad Bonifacium, Capite 5.

IAM nunc illa videnda ſunt, quæ in Epiſtola ſua nobis obijcientes breuiter poſuerunt, quibus hæc eſt noſtra reſponſio: Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura perijſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo; ad bene autem piéque viuendum, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, non valere, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adiuta.

Quæcumque aduerſus Pelagianos ſcripſit Sanctus Auguſtinus, ea nobis ſemper objicit Ianſenius: Hi enim libri aduerſus duas Epiſtolas Pelagianorum ſcripti ſunt, nec nobis poſſunt conuenire; cum fateamur liberum arbitrium, niſi gratia Dei liberatum, & ea adiutum, quicquam boni poſſe facere.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de Correptione & Gratia, Cap. 2.

INTELLIGENDA eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua ſola homines liberantur à malo: & ſine qua nullum prorſus ſiue cogitando, ſiue volendo & amando, ſiue agendo faciunt bonum; Non ſolum vt mon-

Digitized by Google

ſtrante ipſa quid faciendum ſit ſciant, verumetiam vt præſtante ipſa, faciant cum dilectione quod ſciunt; Hanc quippè inſpirationem bonæ voluntatis atque operis poſcebat Apoſtolus eis, quibus dicebat, Oramus autem ad Deum ne quid mali faciatis, non vt nos probati appareamus, ſed vt vos quod bonum eſt faciatis; quis hoc audiat, & non euigilet, atque fateatur à Domino Deo nobis eſſe, vt declinemus à malo, & faciamus bonum?

Hic etiam textus valet tantum aduerſus Pelagianos, contra quos ſcriptus eſt, nec inde quicquam poteſt concludi, quod Ianſenio faueat.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de geſtis Pelagij, Capite 3.

PROCVLDVBIO *plus eſt agi, quàm regi; qui enim regitur, aliquid agit, & adeo regitur, vt rectè agat: qui enim agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur, & tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Saluatoris; vt non dubitet Apoſtolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi Filij ſunt Dei, nec aliquid in nobis melius voluntas libera agere poteſt, quàm vt illi ſe agendam commendet, qui malè agere non poteſt, & hoc cum fecerit, ab illo ſe vt faceret adiutum non dubitet: Cui dicitur in Pſalmo, Deus meus miſericordia eius præueniet me.*

Digitized by Google

Hunc locum cum apud Sanctum Auguſtinum quærerem, & inuenire non poſſem, in fine libri de Natura & Gratia tomo 7. inueni hanc animaduerſionem. Hîc ſequi debebat liber de geſtis Pelagij, de quo Auguſtinus lib. 2. retractationum cap. 47. ſed putatur non extare. Hæc in meo Auguſtino: Fortaſſe alium habuit Ianſenius; ſed quidquid ſit, hîc textus nullo modo iuuat ſuam ſententiam.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de geſtis Pelagij, Capite 14.

HINC iam obijciuntur Pelagio alia Celeſtij capitulo capitalia, & ſine dubitatione damnanda: quæ niſi Anathematizaſſet cum his ſine dubio damnaretur in tertio capitulo, ſcripſiſſe Cæleſtium gratiam Dei & adiutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege ac doctrina: & iterum Dei gratiam ſecundum noſtra merita dari; quia ſi peccatoribus illam det, videtur eſſe iniquus, & his verbis intuliſſe, Propterea & ipſa gratia in mea voluntate poſita eſt, ſiue dignus fierem, ſiue indignus, ſi enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, ſed Dei gratia quæ voluit nos adiuuare, omnimodo & non potuit; & iterum ait, Si gratia Dei eſt, quando vicimus peccata, ergo ipſe eſt

Digitized by Google

in culpa, quando à peccato vincimur, quia omnino cuſtodire nos aut non potuit, aut noluit. Ad ipſa Pelagius reſpondit, Hæc vtrum ſint Cæleſtij ipſi viderint, qui dicunt ea Cæleſtij eſſe: Ego verò nunquam ſic tenui, ſed anathematizo qui ſic tenet. Synodus dixit, Recipit te ſancta Synodus, ita verba reproba condemnantem.

Huic textui ſuperior conuenit reſponſio.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de Gratia Chriſti, Capite 3.

NAM gratiam Dei, & adiutorium, quo adiuuamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina, vt videlicet cum adiuuat Deus hominem, vt declinet à malo, & faciat bonum, reuelando & oſtendendo quid fieri debeat, adiuuare credatur, non etiam cooperando, & delectationem inſpirando, vt id quod faciendum eſſe cognouerit, faciat.

Certe de Ianſenio nihil aliud poſſum arbitrari, niſi eum Deo permittente in reprobum ſenſum cecidiſſe, & mente captum fuiſſe. Allegat enim hîc Pelagium pro Auguſtino, cuius tantum verba refert Auguſt. & qui Auguſtinum adire voluerit, ſic eſſe comperiet.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis. Ibidem Cap. 24.

LEGANT ergo & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina forinſecus inſonante, ſed interna atque occulta mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.

Semper, vt iam ſæpe dixi, nobiſcum agit tanquam cum Pelagianis, quibus hæc tantum conueniunt, non nobis Catholicis, qui gratiam neceſſariam in omnibus actibus admittentes cum Sancto Auguſtino conſentimus: ita tamen illam ſtatuentes, vt liberum arbitrium non deſtruamus, vt nec ille. Docet enim bonas voluntates à Deo fieri, cum volunt homines, non cum nolunt, vt dicit Sanctus Auguſtinus in capite ſequenti: & in cap. 17. præcedenti docet, Pelagium ideo voluiſſe, velle tantum adiudicare homini, Quia, inquit, omnia vertere etiam in malum poſſumus, quod cum timeret, noluit dicere velle eſſe noſtrum & Dei, ne ſibi reſponderetur, ſi quod bene agimus, loquimur, cogitamus, ideo eſt noſtrum & Dei, quia ille hoc poſſe nobis donauit: Ergo & quod malum agimus, loquimur, cogitamus, & noſtrum eſt & Dei, quia illud poſſe ad vtrumque donauit,

Digitized by Google

atque ita, quod abſit, quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, ſic cum illo culpamur in malis; vbi Sanctus Auguſtinus poſſibilitatem ad vtrumque non negat. Sed in capite ſequenti 18. explicat, differentiam, quia non eſt eadem radix bonæ & malæ voluntatis: Quod confirmat exemplo arboris bonæ vel malæ, quam homo poteſt facere.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Ibidem Cap. 25.

DESINAT itaque iam Pelagius, & ſe ipſum & alios fallere contra Dei gratiam diſputando. Deſinat iſta dicere; Non ſolum enim Deus poſſe noſtrum donauit, atque adiuuat, ſed etiam velle, & operari operatur in nobis; Non quia nos non volumus, aut nos non agimus, ſed quia ſine ipſius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus. Quomodo enim dicitur quod poſſumus bene agere Dei eſt, quod autem agimus, noſtrum eſt: Cum dicat Apoſtolus, Orare ſe ad Deum pro eis ad quos ſcribebat, ne quid mali faciant, & vt quod bonum eſt, faciant? Non enim ait Oramus, vt poßitis nihil mali facere, ſed ne quid faciatis mali, nec vt poßitis bonum facere, ſed vt bonum faciatis. Quoniam de quibus ſcriptum eſt, Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi Filij ſunt Dei, profecto vt agant quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt.

Digitized by Google

Hæc aduerſus Pelagianos tantum valent, nec inde quidquam concludi poteſt, quod Ianſenij ſententiæ faueat.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de prædeſtinatione Sanctorum, Cap. 8.

HÆC itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo corde duro reſpuitur; ideò quippè tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.

Hunc textum iam ſupra allegauit Ianſenius, vbi eum explicuimus, & ad hanc explicationem Lectorem remittimus.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro primo ad Bonifacium, Capite 20.

QVID eſt autem quod Heſter illa Regina orat, & dicit, Da Sermonem concinnum in os meum; & Verba mea clarifica in conſpectu Leonis; & Conuerte cor eius in odium impugnantis nos, vt quid iſta in ratione dicit, Deo, ſi non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem?

Hæc vt cætera aduerſus Pelagianos ſcripta ſunt, qui negabant Deum operari in cordibus hominum voluntatem, quæ non negamus.

EX-

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Epiſtola 107. ad Vitalem.

NEMPE' iſti, pro quibus inimicis Dominus nos iuſsit orare, & glorioſiſsimus Martyr ſic expoſuit quod in oratione dicimus, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, vt ipſis etiam poſcamus fidem, quam fideles habent: Nempè ergo iſti Chriſtianæ pietatis inimici legem Dei atque doctrinam, qua Chriſti prædicatur fides, vel omninò audire nolunt, vel ad hoc audiunt, ſiue etiam legunt, vt irrideant atque deteſtentur, & quanta poſsint contradictione blaſphement: Inaniter igitur, & perfunctoriè potius quàm veraciter pro eis, vt doctrinæ, cui aduerſantur, credendo conſentiant Deo fundimus preces, ſi ad eius non pertinet gratiam conuertere ad fidem ſuam, ipſi fidei contrarias hominum voluntates: Inaniter etiam & perfunctoriè potius quàm veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, ſi hoc in eis ipſe non facit non fallamus homines: Nam Deum fallere non valemus. Prorſus non oramus Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum, credimus facere quod oramus: prorſus non gratias Deo agimus, ſed nos agere fingimus, ſi vnde illi gratias agimus ipſum facere non putamus: Labia doloſa, ſi in hominum quibuſcumque ſermonibus ſunt, ſaltem in orationibus non ſuit,

Digitized by Google

abſit vt quod facere Deum rogamus oribus & vocibus noſtris, eum facere negemus cordibus noſtris.

Opus eſt hoc gratiæ, quam qui accipiunt doctrinæ ſalutari Scripturarum ſanctarum, & ſi fuerint inimici, fiunt amici. Non opus eiuſdem doctrinæ, quam qui audiunt, & legunt ſine gratia Dei peiores eius efficiuntur inimici.

Hæc omnia, vt iam diximus, nihil valent, niſi contra Pelagianos : & huic textui iam ſatisfecimus docentes per eundum Auguſtinum hîc agi tantum, an gratia ſubſequi vel præcedere debeat bonam voluntatem, vt latius videri poteſt in explicatione prioris textus.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, De Correptione & Gratia, Capite 14.

CVM autem homines per correptionem in viam iuſtitiæ, ſeu veniunt, ſeu reuertuntur, qui operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille qui quolibet plantante atque rigante : & quolibet in agris atque arbuſculis operante dat incrementum Deus; Cui volenti ſaluum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium : Sic enim velle & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem: De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipſe quæ vult.

Digitized by Google

Qui tamen hoc non fecit niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. Ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo, ac per hoc Dominus omnipotens, qui erat cum illo, adduxit iſtos, vt eum Regem conſtituerent: Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus vllis vinculis alligauit? Intus egit corda tenuit; Corda mouit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit.

Hîc dicitur ab Auguſtino hominum voluntates inclinari à Deo quocunque vult, quod non negamus, imo fatemur aliquando tam potenter inclinari, vt liberum arbitrium volens obſequatur: ſed numquam neceſſariò; & hoc etiam multi homines tantis rationibus & ſuaſionibus vtuntur, vt amicos ſuos à malis & peruerſis affectionibus abducant, cum tamen eis ſit liberum non ſuaderi. Sic Deus agit in cordibus, vt naturam, quam ſtruxit, non deſtruat, & liberum arbitrium, quod homini contulit, non auferat: ſic quod agit in hominum cordibus, per eorum voluntates liberas efficit, non tollendo liberum arbitrium, ſed dirigendo: quod accidit in prædeſtinatis, non autem in malis, qui gratiam Dei quidem ſuſcipiunt, ſed in ea non perſeuerant, deſerunt & deſeruntur, dimittuntur ſuo libero arbitrio, non accepto perſeuerantiæ dono,

Digitized by Google

vt diſſerit idem Auguſt. in fine capitis præcedentis: Sic Deus Iudæos adegit, non coegit, intus egit, corda tenuit & mouit, vt Dauid in Regem eligerent, non neceſſitauit, vt dogmatizat Ianſenius.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro primo ad Symplicianum, Quæſt. 2.

NAM ſi propterea ſolum dictum eſt Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia voluntas hominis ſola non ſufficit, vt iuſte recteque viuamus, niſi adiuuemur miſericordia Dei: Poteſt & hoc modo dici, igitur non eſt miſerentis Dei, ſed volentis eſt hominis, quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. At illud manifeſtum eſt, fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem neſcio quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus: ſi enim Deus miſeretur, ergo iam volumus, ad eandem quippe miſericordiam pertinet vt velimus; Deus enim eſt, qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate.

Quis habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat, aut quis habet in poteſtate, vt vel occurrat quod eum delectare poſſit, vel delectet cum oc-

Digitized by Google

curreit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro, & induſtria, aut operum meritis comparatur, quia vt ſint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur; propterea petere iubemur vt accipiamus, & quærere vt inueniamus, & pulſare vt aperiatur nobis.

Certè ſi licet ita vti aut potius abuti auctoritate Sancti Auguſtini, ſecando textus eius per partes, & propoſitiones eius proferendo, & reſolutiones reticendo, nihil eſt quod ei non imponi poſſit, vt verbi gratia in hoc textu, quem Ianſenius profert pro gratia ſemper efficaci; & ego iam illum attuli ad probandum gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem. Et vt clarius appareat, cui faueat Auguſt. Ianſenio an mihi, textus hic paulò venit enucleatius expendendus. Quæ à Ianſenio referuntur, habentur, apud Auguſtinum: ſed quæ ſequuntur, omnem tollunt difficultatem. Dicit enim totum Deo tribui, quia bona voluntas non præcedit vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem; ſic ideo Deo tribui quod bene volumus, quia nobis tribui non poteſt quod vocamur, vnde conſequenter ait Auguſtinus, Non ideo dictum eſt putandum non volentis neque currentis eſt Dei, quia niſi eius adiutorio non poſſumus adipiſci quod volumus, ſed ideo potius quia niſi eius vocatione non volumus: vnde poſtea con-

cludit vocationem non eſſe effectricem bonæ voluntatis, quia omnis vocatus eam non ſequitur; alias falſum eſſet quod dicitur, Multi vo-
» cati pauci electi, his verbis: Sed ſi vocatio iſta
» ita eſt effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam
» vocatus ſequatur, quomodo verum erit Multi
» vocati, pauci electi? Vnde conſequẽter conclu-
» dit, cum hoc verum ſit, & omnis vocatus voca-
» tioni non obtemperet, atque vt obtemperet
» in eius ſit poſitum voluntate; rectè etiam dici
» poſſe, igitur non miſerentis Dei, ſed volentis
» atque currentis eſt hominis, quia miſericordia
» vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia
» conſequatur. His adde quæ antea dixerat Sanctus Auguſtinus de Eſaü, qui noluit & non cu-
» currit; Sed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei ad-
» iutorio perueniſſet, qui ei etiam velle & curre-
» re vocando præſtaret, niſi vocatione contem-
» ptâ reprobus fieret; Aliter enim Deus præſtat
» vt velimus, aliter præſtat quod voluerimus. Vt
» velimus enim, & ſuum eſſe voluit & noſtrum
» ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Adde etiam
» quod antea dixerat S. Auguſt. Neminem crede-
» re, niſi libera voluntate, quam pſam fidei vo-
» luntatem futuram præuidens Deus, etiam non-
» dum natum præſcientia qua iuſtificaret elegerit. Quam noſtram explicationem aut potius replicationem ſufficere credimus, vt oſtenderemus Sanctum Auguſtinum Ianſenio non faue-

re,ſed aduerſari. Supereſt vt ſecundo textui,qui longè ab alio diſtat, ſatisfaciamus, quod non eſt difficile: fatemur enim neminem habere in poteſtate, vt tali viſo mens eius attingatur, quo eius voluntas moueatur ad fidem, ſed in poteſtate habet tali viſo non moueri, & non obſtante illo, vocationem reſpuere & vocanti non reſpondere, nemo enim quidem poteſt credere, niſi aliqua vocatione, hoc eſt aliqua rerum teſtificatione tangatur, vt loquitur idem S. Aug. in verbis immediate præcedentibus, ſed tamen hanc vocationem poteſt contemnere, vt contempſit Eſaü, & multi vocati gratiæ non obtemperantes & illam reſpuentes, nunquam fiunt electi.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de prædeſtinatione Sanctorum, Cap. 18.

FECIT autem hoc ſecundum placitum voluntatis ſuæ, vt nemo de ſua, ſed de illius erga ſe voluntate glorietur, fecit hoc ſecundum diuitias gratiæ ſuæ, ſecundum bonam voluntatem ſuam, quam propoſuit in dilecto filio ſuo, in quo ſortem conſequuti ſumus prædeſtinati, ſecundum propoſitum non noſtrum, ſed eius qui vniuerſa operatur, vſque adeo vt ipſe in nobis operetur & velle.

Hic textus non probat gratiam Dei eſſe ſem-

per efficacem, & ſi in nobis operetur velle: ita enim operatur vt velle ſit ſuum & noſtrum, id eſt, inſtigat vt velimus, non neceſſitat: vnde ſupra demonſtrauimus ex eodem Auguſtino ſic Deum vocare, vt homini poſtea ſit liberum ſequi vel non ſequi.

Poſſem etiam dicere hîc agi de prædeſtinatis & electis, quibus omnia cooperantur in bonum.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro 3. ad Bonifacium Cap. 2.

D*ICIMVS lege fieri vt Deus quid fieri velit; audiatur gratia vero fieri, vt legi obediatur. Ideo iuſtitia legis in eis impletur, qui non ſecundum carnem ambulant, id eſt, ſecundum hominem ignorantem Dei iuſtitiam & ſuam volentem conſtituere, ſed ambulant ſecundum ſpiritum: quis autem ambulat ſecundum ſpiritum, niſi quiſque agitur Dei ſpiritu; quotquot enim ſpiritu aguntur, Si filiÿ ſunt Dei.*

Ex hoc textu nihil concludi poteſt, quod Ianſenio faueat.

EX-

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro 2. ad Bonifacium Cap. 9.

QVAPROPTER multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo, nulla vero facit homo, quæ non facit Deus vt faciat homo.

Hic textus, vt profertur à Ianſenio, profectò nihil ad rem facit, ſed vt eſt in Auguſt. modo connectatur præcedentibus dictis ab Auguſtino, prorſus deſtruit Ianſenij ſententiam. Ibi enim videri poteſt Deum non ſolum omnia facere, ſed etiam hominem ex parte ſua facere, *his* » *verbis*; Aperi os & adimplebo illud, quæ ſi » vnum videtur ad hominem pertinere, alterum » ad Deum, in hac autem vbi dicitur, Ergo ape- » riam os tuum, & inſtruam te, vtrumque ad Do- » minum, quare hoc? Niſi quia in vno iſtorum » cooperatur homini facienti, alterũ ſolus facit. » Quapropter multa Deus facit in homine bo- » na, quæ non facit homo: nulla vero facit ho- » mo, quæ non facit Deus vt faciat homo. Vbi Lector aduertet, Ianſenium vel ſaltem eius Collectorem ibi poſuiſſe multa, cum nulla legatur apud Auguſtinum, & certe nulla legere oportet, cum de bonis agatur, quæ nunquam homo facit, niſi Deus operetur vt faciat.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de Gratia Chriſti, Cap. 13.

HÆC gratia, ſi doctrina dicenda eſt; Certè ſic dicatur, vt altius & interius eam Deus eum ineffabili ſuauitate, credatur infundere, non ſolum per eos, qui plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſe ipſum qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita vt non oſtendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat Charitatem: ſic enim docet Deus eos, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſimul donans, & quid agunt ſcire, & quod ſciunt agere.

Qui autem nouit, quid eſt quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum Legem; non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum litteram: quamuis multi quod imperat lex facere videantur timore pœnæ, non amore iuſtitiæ; quam dicit Apoſtolus, Iuſtitiam ſuam quæ ex lege eſt, tanquam ſit imperata, non data; Si autem data eſt, Non dicitur iuſtitia noſtra, ſed Dei, quia ſic ſit noſtra, vt ſit nobis ex Deo.

Hîc agitur de prædeſtinatis & præſcitis, qui vocationi obtemperant, & illam non reſpuunt, & proinde illis omnia cooperantur in bonum, non ſimpliciter de omnibus hominibus, quo-

Digitized by Google

rum multi, etiamſi nouerint quid fieri debeat, vtpotè vocati, tamen vocatione contemptâ non faciunt, vt hîc dicitur.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Ibidem Cap. 14.

OMNIS qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire, ſed venit, vbi iam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus, &c.

Hæc omnia fateor: ſed addo ex eodem Auguſt. ex eodem loco, Quis autem non videat, » & venire quemquam, & non venire arbitrio » voluntatis, ſed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum ſi non venit, non autem poteſt niſi adiutum eſſe ſi venit, atque vt dicitur ab eodem » in verbis præcedentibus ea quæ allegat Ianſenius, Non eſt conſequens, vt qui poteſt venire » etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, De prædeſtinatione Sanctorum, Cap. 8.

OMNIS qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me, quis eſt omnis qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me, niſi nullus eſt qui audiat & diſcat à Patre, & non veniat ad me? ſi enim omnis qui audiuit à Patre, venit, profectò

Digitized by Google

omnis qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit: Nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret, neque enim vllus audiuit & didicit, & non venit, ſed omnis, ait veritas, qui audiuit à Patre & didicit, venit.

Nam ſi & illos, quibus ſtultitia eſt verbum crucis, vt ad Chriſtum venirent, docere voluiſſet, proculdubio venirent & ipſi; Non enim fallit aut fallitur, qui ait, omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: abſit ergo, vt quiſquam non veniat, qui audiuit à Patre, & didicit.

Cum igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: ſed qui credunt prædicatore forinſecus inſonante, intus à Patre audiunt atque diſcunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt, hoc eſt, illis datur vt credant, illis non datur, quia nemo, inquit, venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum.

Hunc textum iam ſupra allegauit Ianſenius, & illi ſatisfecimus, ad quam explicationem primam remittimus lectorem; & addimus hunc locum Ianſenij ſententiam deſtruere, & noſtram ſtabilire. Hîc enim S. Auguſt. docet ex vocatis, & ex his, quibus prædicatur Euãgelium, alios credere, alios non credere: quod idem eſt quod aſſerimus, nempe alios amplecti gratiam, alios reijcere. Qui credunt, prædicatore forinſecus inſonante intus & planè audiunt atque diſcunt: qui autem non credunt, foris

Digitized by Google

audiunt, intus non audiunt neque diſcunt, id eſt gratiam Dei in ſe non ſuſcipiunt, ſed illam rejiciunt: quod diſertè nobis explicant Euangeliſtæ per parabolam Chriſti, quam referunt de ſemine in terram ſparſo, quod diuerſimodè „ ſe habet: Qui inquit Marcus ſeminat, verbum „ ſeminat, hi autem ſunt qui circa viam vbi „ ſeminatur verbum, & eum audierunt confe„ ſtim venit Satanas, & aufert verbum quod ſe„ minatum eſt in cordibus eorum: & hi ſunt ſi„ militer qui ſuper petroſa ſeminātur, qui cum „ audierint verbū, ſtatim cum gaudio accipiunt Marc. 4. „ illud, & non habent radicem in ſe, ſed tempo„ rales ſunt, deinde orta tribulatione & perſecu- Matthæi 12. „ tione propter verbū confeſtim ſcādalizantur: Lucæ 13. „ & alij ſunt, qui in ſpinis ſeminantur, & hi ſunt „ qui verbum audiunt & erumnæ ſæculi & de„ ceptio diuitiarum & circa reliquæ concupiſ„ centiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine „ fructu efficitur; & hi ſunt, qui ſuper terram bo„ nam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum & ſuſ„ cipiūt & fructificant; Vnde licet colligere gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem, & multos illam reijcere; ſicque Chriſtum multos docere qui quidem veniunt, ſed ſunt tantum temporales, & non perſeuerant, cùm non bene didicerint: arborem enim malam faciunt, cum bonam facere poſſint, vt docet Sanctus Auguſtinus ſermone 12. de verbis Domini.

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de Gratia Chriſti, Cap. 10.

SED nos eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur quâ futuræ gloriæ, magnitudo, non ſolum promittitur, verumetiam creditur & ſperatur, nec ſolum reuelatur ſapientia, verumetiam & amatur, nec ſuadetur ſolum omne quod bonum eſt, verum & perſuadetur. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolum vocari, verum etiam eſſe Chriſtianus.

Semper malam fidem Ianſenij deprehendo: cum enim vellem explicare Auguſtinum, ſic vt alij ſuaderentur, alij non legendo Auguſtinum inueni illum idem dicentem quod cautè & maligne obmiſit Ianſenius, ſuum ſibi concinnans textum ad libitum, conſuens ima cum ſuperioribus, omiſſis medijs. Sic enim loquitur
» Sanctus Auguſtinus: Sed nos eam gratiam vo-
» lumus iſte aliquando fateatur, qua futuræ glo-
» riæ magnitudo non ſolum promittitur, verum
» etiam creditur & ſperatur, nec ſolum reuela-
» tur ſapientia, verumetiam & amatur; nec ſua-
» detur ſolum omne quod bonum eſt, verum & perſuadetur; Et hæc ſunt quæ allegauit Ianſenius, ſequuntur quæ omiſit, Non enim om-
» nium eſt fides qui audiunt per ſcripturas, Do-

„ minum regnum cœlorum pollicentem, aut „ omnibus perſuadetur quibuſcũque ſuadetur, „ vt veniant ad eum qui dicit, Venite ad me „ omnes qui laboratis. Quorum autem ſic fides „ & quibus perſuadetur vt ad eum veniant, ſatis „ ipſe demonſtrauit vbi ait. Nemo venit ad me, „ niſi pater qui miſit me, traxerit eum. *Et paulò poſt* cum de non credentibus loqueretur, Dixi „ inquit vobis, quia nemo poteſt venire ad me, „ niſi fuerit ei datum, à Patre meo: *Et poſt* ſubſe-quitur quod in fine retulit Ianſenius, Hanc de-„ bet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſo-„ lum vocari verumetiam eſſe Chriſtianus, Et nos omnimodè Sanĉto Auguſtino ſubſcribimus refellenti Ianſenium, qui dogmatizat gratiam Dei eſſe ſemper efficacem.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Ibidem Cap. 12.

HÆC autem gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, prædeſtinatos, & ſecundum propoſitum vocatos ad ſummam perfectionem glorificationenque perducit, quâ gratia agitur non ſolum vt facienda nouerimus, verum etiam vt cognita faciamus; nec ſolum vt diligenda credamus, verumetiam vt credita diligamus.

Et nos fatemur gratiam Dei hæc omnia operari in prædeſtinatis, & ijs, qui gratiam Dei in ſe ſuſceperunt, & quamdiu in illa rema-

Digitized by Google

nent, illam non deſerunt, & ab ea non deſerun-tur, quam illis ſemper ſuſcipere & retinere, re-pudiare & reijcere liberum eſt, nec vnquam neceſſario illam amplectuntur.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de correptione & Gratia Capite 12.

SVBVENTVM eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.

Hunc textum iam allegauit ſupra Ianſenius, & in allegatis eſt ordine tertius, ad quam explicationem Lectorem remittimus.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de prædeſtinatione Sanctorum, Cap. 6.

MVLTI audiunt verbum veritatis, ſed alij credunt, alij contradicunt, volunt autem iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum vtique quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio.

Huic textui iam etiam ſupra ſatisfecimus, vnde non mirum, ſi Ianſenius tam magnum edidit volumen, cum ex vna eademque filia

multos

multos ſibi paret generos. Vt autem aliquid quaſi per tranſennam dicamus, hic textus Ianſenij ſententiæ aduerſatur, cùm ex eo conſtet gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem, ſed eſſe efficacem vel inefficacem, provt ſuſcipitur aut reijcitur, vnde alij credunt, alij contradicunt; volunt autem iſti credere, nolunt autem illi.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Ibidem Cap. 5.

NON quia credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.

Hic textus Ianſenio aduerſatur: Apertè enim ibi dicitur credere vel non credere eſſe in arbitrio voluntatis humanæ; ſed voluntas præparatur à Domino in electis, ideſt, in ijs, qui gratiam Dei ſuſcipiunt, quinetiam in alijs qui tantum temporales ſunt, & non perſeuerant, quando & quandiu gratiam Dei in ſe ſuſcipiunt, ab eo voluntas eorum præparatur.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, De dono perſeuerantiæ, Cap. 6.

SI ergo alia documenta non eſſent, hæc dominica oratio nobis ad cauſam gratiæ, quam def-

Digitized by Google

fendimus ſola ſufficeret, quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in noſtro gloriemur.

Hic textus ad quæſtionem noſtram non pertinet, ſed valet contra Pelagianos, qui gratiam Dei negabant.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro primo Retractationum, Capite 23.

NON ergo elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt: ſed fidem elegit in præſcientia, vt quem ſibi crediturum eſſe præſciuit, ipſum eligeret, cui Spiritum ſanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam conſequeretur. Nondum diligentius quæſiueram, nec adhuc inueneram qualis ſit electio gratiæ, de qua idem dicit Apoſtolus, reliquæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, quæ vtique non eſt gratia, ſi eam merita vlla præcedant, ne iam quod datur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum reddatur potius meritis, quàm donetur, proinde quod continuò dixi, dicit enim idem Apoſtolus, idem Deus qui operatur omnia in omnibus, numquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde ſubiunxi, Quod ergo credimus, noſtrum eſt, quod autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus dat Spiritum ſanctum: Profecto non dicerem ſi iam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera

Digitized by Google

reperiri, quæ datur in eodem Spiritu. Vtrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, vtrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei & charitatis; neque enim ſola charitas, ſed ſicut ſcriptum eſt, charitas cum fide à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Et quod paulò poſt dixi, noſtrum eſt enim credere, & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum ſanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris. Verum eſt quidem, ſed ea regula, & vtrumque ipſius eſt, quia & ipſe præparat voluntatem, & vterque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.

Tranſeat hic textus, ideo tranſcriptus vt non videatur omiſſus; Nihil enim inde concludi poteſt quod Ianſenio faueat: Imo ſuam ſententiam penitus deſtruit.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Homilia 14. Cap. 41.

IN veſtra patientia poßidebitis animas veſtras. In veſtra patientia, inquit, non eſſet enim patientia tua, ſi non ibi eſſet voluntas tua: In veſtra patientia, ſed vnde veſtra? Noſtrum eſt, quod à nobis habetur, noſtrum eſt quod nobis donatur; Quomodo enim aliquid donas, niſi vt eius ſit, cui donas? Aperta eſt enim illa confeßio, nonne Deo ſubijcietur anima mea? Ab ipſo eſt enim patientia mea,

dicit nobis ipſe, in veſtra patientia, dicamus illi & nos patientia mea ab ipſo eſt, tuum fecit donando, noli ingratus eſſe tibi aſsignando: Nonne in Oratione dominica dicimus & noſtrum eſt, quod à Deo eſt quotidie dicimus, Panem noſtrum quotidianum: Iam dixiſti, Noſtrum: & dicis, Da nobis ecce noſtrum, ecce da nobis, illo dante fit noſtrum, nobis ſuperbientibus fit alienum.

Hic textus nihil facit ad præſentem quæſtionem.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Sermone 43. de Verbis Domini.

SED ſi diligentius cogitemus, quando illi Martyres perhibent teſtimonium, ipſe ſibi perhibet teſtimonium, ipſe enim habitat in Martyribus, vt perhibeant teſtimonium veritati.

Tranſeat & hic textus, ex quo nihil concludi poteſt.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de Correptione & Gratia, Capite 9.

NON alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, exultent Deo, ſed cum tremore, in nullo gloriantes; quando noſtrum, Nihil ſit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. His verbis vſus eſt,

Digitized by Google

& Apoſtolus vbi ait, cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini, & oſtendens quare cum timore & tremore, ait, Deus eſt enim, inquit, qui operatur in vobis velle & operari pro bona voluntate.

Hæc omnia libenter amplectimur, nec enim Ianſenij ſententiam iuuant. Ibi enim non dicitur gratiam Dei eſſe ſemper efficacem.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro primo Operis imperfecti. fol. 133.

IGNOSCENDVM tibi eſt, quia in re multum abdita vt homo falleris. Abſit vt impediatur ab homine omnipotentis, & cuncta ſcientis intentio. Parum de re tanta cogitant, vt ei cogitandæ non ſufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediente non poſſe, ſicut certum eſt, Hieruſalem filios ſuos ab illo colligi noluiſſe: Ita certum eſt etiam eum ipſa nolente quoſcumque eorum voluit collegiſſe. Deus enim ſicut homo Dei, dixit Ambroſius, quos dignatur, vocat, & quem vult religioſum facit. Conuenit autem ſcriptura, plerumque hominis voluntatem, vt quod non habet, & non poteſt admonitus ſentiat, & ab eo à quo ſunt bona omnia, indigens poſcat.

Hoc opus non potui inuenire apud meum Auguſtinum. Sed quidquid ſit, nemo dubitat

Digitized by Google

de potentia Dei; Nec hoc iuuat Ianſenium. Inde enim colligi non poteſt, gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, nec enim dubitandum eſt, gratiam Dei habuiſſe filios Hieruſalem, qui tamen illam reſpuerunt, ergo non eſt ſemper efficax; quod nobis ſufficit, vt deſtruatur generalis propoſitio Ianſenij.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Præfatione in Pſalm. 31.

N*IHIL boni feciſti, & datur tibi remiſſio peccatorum: Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala, ſi quod deberetur illis operibus Deus redderet, vtique damnaret; ſtipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur, niſi damnatio? bonis quid debetur, niſi regnum Cælorum?*

Certè ridendi ſunt Ianſenius & Collector eius, qui tam inepta producunt, potius quàm refutandi. Quid enim hæc illis inſeruiunt ad probandam ſuam ſententiam de gratia ſemper efficaci, aut determinatione voluntatis ad vnum, ſtipendium peccati mors, bonorum autem operum retributio vita æterna? Alleget etiam quæ de extremo Iudicio dicuntur, Ibunt maledicti in ignem æternum, boni in vitam æternam: Sequitur ne gratiam Dei eſſe ſemper efficacem? Nec quæ reſtant maioris

Digitized by Google

ſunt ponderis in fauorem Ianſenij: quæ etſi nulla explicatione indigeant, cum ſuos auctores ſatis refutent, tamen hîc tranſcripſi, quia illa proferre, eſt ſuis auctoribus pudorem inijcere.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, In Pſalmum 58.

DEVS *meus miſericordia eius præueniet me, ecce quid eſt fortitudinem meam ad te cuſtodiam, de me nihil omnino præſumant: quid enim attuli boni, vt mei miſereris & me iuſtificares? Quid in me inueniſti, niſi ſola peccata? Tuum nihil aliud, niſi natura, quam creaſti; cætera mala mea, quæ deleuiſti.*

Videat & iudicet ipſe Lector quàm inepte edit Ianſenius, & quid illi proficiat hic textus ex Auguſtino.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Ibidem de ſecunda parte eiuſdem Pſalmi.

DEVS *meus miſericordia mea: Non inuenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum ſuum, niſi miſericordiam ſuam: O nomen ſub quo nemini deſperandum eſt. Deus meus, inquit, miſericordia mea; Quid eſt miſericordia mea? Si dicas, ſalus mea, intelligo quia dat ſalutem: ſi dicas re-*

Digitized by Google

fugium meum, intelligo quia confugis ad eum: Si dicas fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem. Miſericordia mea quid eſt? Totum quidquid ſum, de miſericordia tua eſt, ſed promerui te, inuocando te. Vt eſſem quid feci? Vt eſſem, qui te inuocarem, quid egi? Si enim egi aliquid vt eſſem, iam eram antequam eſſem. Porrò ſi omnino nihil eram, antequam eſſem, nihil te promerui vt eſſem, feciſti vt eſſem, & non tu feciſti vt bonus eſſem? dediſti mihi vt ſim? Et potuit mihi alius dare vt bonus ſim, ſi tu mihi dediſti vt ſim, & alius mihi dedit vt bonus ſim, melior eſt ille qui mihi dedit, quàm ille qui mihi dedit, vt ſim: Porrò quia nemo te melior, nemo te potentior, nemo te in miſericordia largior, à quo accepi vt eſſem, ab illo accepi vt bonus eſſem Deus meus miſericordia mea.

Tranſeat hic textus tanquam nihil concludens, vt cæteri.

EXPLICATIO TEXTVS. ſequentis, In pſalm. 70. Concione prima: De prima parte pſalm.

COMMENDAT *nobis gratiam Dei, commendat nobis, quia nos per noſmetipſos nihil ſumus: commendat nobis, quia quidquid ſumus, illius miſericordia ſumus; quidquid autem ex nobis ſumus, mali ſumus.*

Nemo Catholicus negat gratiam Dei eſſe

neceſſa

neceſſariam ad quoſlibet bonos actus elicien-dos, ſed ſimul aſſerunt in libera hominis volun-tate ſitum illam repudiare, vel amplecti: nec huius contrarium probat hic textus, nec vn-quam Ianſenius aut quilibet alius pro eo pro-bare poterit, nec voluntatem hominis ex gra-tia determinari ad vnum.

EXPLICATIO TEXTVS Sequentis in Enchiridio ad Laurentium, Cap. 95.

TVNC in clariſsima luce ſapientiæ videbi-tur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifeſta cognitione videatur, quam certa & im-mutabilis & efficaciſsima ſit voluntas Dei, quam multa poſsit & non velit, nihil autem velit quod non poſsit, quamque ſit verum quod in pſalmo ca-nitur, Deus autem noſter in cælo, omnia quæcum-que voluit, fecit; Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis im-pediuit: non ergo fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo.

Hic textus nihil aliud concludit, niſi Deum omnipotentem, omnia quæcumque vult face-re immutabili & efficaciſſima ſua voluntate: ſed inde non ſequitur gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, aut voluntatem ſemper determinari

Digitized by Google

ad vnum: & ratio eius in hoc textu redditur ab Auguſtino, quia Deus multa poteſt quæ non vult; non vult autem vllam neceſſitatem imponere voluntati hominis, quam liberam condidit, & idcirco non vult illam deſtruere, ſed eam ſinere operari eo modo quo creata eſt. Sic enim Deus omnia ſuauiter diſpoſuit, vt neceſſaria neceſſariò, contingentia contingenter, & libera liberè relinquat operari: ſic Deus licet omnipotens non vult homines ſaluari, niſi & ipſi velint, quod & ipſe Auguſt. diſertis verbis declarauit in verbis immediate præcedentibus,
» nec vtique inquit Auguſt. Deus iniuſte noluit
» ſaluos fieri, cum poſſent ſalui eſſe, ſi vellent.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro 2. ad Bonifacium, Cap. 19. & 3. c. 2.

ECCE quod dicimus, Orent ſuperbi ſui arbitrij defenſores, & Catholicæ fidei deſertores, vt aliquando intelligant, non litigent, vt nunquam intelligant, ecce quod dicimus, intendant & non contendant, illuminentur & non calumnientur.

Allegat hîc Ianſenius librum ſecundum ad Bonifacium cap. 19. & ſunt tantum in eo libro cap. decem. Allegat & tertium librum cap. 2. & quæ hîc refert nec in illo nec in iſto reperiuntur, ſed quædam in cap. nono libri ſecun-

Digitized by Google

ui, & quædam in cap. ſecundo libri tertij, ita vt hic locus ex diuerſis ſit conſutus: Nam in cap. nono hæc habentur: Abſit vt ſic intelligant, niſi ſuperbi ſui arbitrij defenſores & fidei catholicæ deſertores, & in 2. cap. paulò poſt initium, Ecce quod dicimus, orent vt aliquando intelligant, non litigent vt nunquam intelligant, & in fine, ecce quod dicimus intendant & non contendant, illuminentur & non calumnientur: & hic textus ex tribus diuerſis pannis conſutus iudicet lector quid operatur.

EXPLICATIO TEXTVS ſequentis, Libro de geſtis Pelagij, Cap. 14.

QVID eſt ergo quod idem dicit Apoſtolus, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de cætero ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die iuſtus iudex, ſi hæc non redduntur dignis, ſed donantur indignis. Hoc qui dicit, parum conſiderat coronam reddere non potuiſſe digno, niſi gratia data eſſet indigno. Ait enim Bonum certamen certaui, ſed idem ipſe ait, Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ait Curſum conſummaui, ſed idem ipſe ait, Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare, &c.

Cum enim dixiſſet Plus omnibus laboraui, continuo ſubiecit, Non ego ſed gratia Dei mecum: O magnum gratiæ præceptorem, confeſſorem, prædicatorem! quid eſt hoc, Plus laboraui non ego? Vbi ſe extulit aliquantum voluntas, ibi continuo vigilauit pietas, & tremuit humilitas; quia ſe agnouit infirmitas.

Ex hoc textu nihil concludi poteſt niſi gratiam neceſſariam eſſe ad omnes actus, Atque etiam gratiam ſolam non operari, ſed hominem etiam cum illa cooperari: quod ſi non velit gratia Dei illum non cogit, neque neceſſitat.

Cum autem hi ſint omnes textus quos Ianſenius affert pro gratia Dei ſemper efficaci, & ex his id probari non poſſit, credo neminem dubitaturum Ianſenium Caluiniſmum Sancto Auguſtino falsò & mendaciter imponere.

Digitized by Google

DEMONSTRATVR IANSENII SENTENTIAM

NON DIFFERRE A CALVINI Sententiâ, atque eſſe eandem.

POST diluta crimina, quæ nobis imponebat Ianſenius, ſublataque differentia, quam ſtatuebat inter neceſſitatem & coactionem; lociſque ex Sancto Auguſtino, quibus abutebatur, explicatis, & in illum retortis, liceat nunc nobis vice verſa & noſtra, illum Caluiniſmi reum peragere: Ad quod vt perueniamus, primò Lectorem mouebimus Ianſenium renouare hæreſes non modo Caluini, Lutheri, ſed etiam Wiclefi, Manichæorum, Aſtronomorum, & eorum, qui fatum introducebant; quibus non inſiſtemus. Certum eſt enim hunc errorem ab antiquis hæreticis

Digitized by Google

vſque ad Lutherum perueniſſe, à Luthero ad Caluinum deſcendiſſe, & ab ambobus à Ianſenio mutuatum. Lutherus enim liberum arbitrium dicit ſeruum peccati, Ianſenius ſeruum gratiæ; Caluinus liberum arbitrium abſolutè tollit; Ianſenius ſupra modum extollit, ſed vt penitus deſtruat, & cum eum pudeat Caluinianæ ſententiæ, quam iam damnatam eſſe negare non poteſt, negat ſe eſſe Caluiniſtam, diſſimulat, ſuamque ſententiam tegit, & perſonatam inducit: quam tamen non tuetur alijs rationibus, auctoritatibus ſiue ſcripturæ ſiue Sancti Auguſtini, quam ijſdem, quibus abuſus eſt Caluinus, eandemque in medium profert diſtinctionem, inter neceſſitatem & coactionem, Catholicos modo Pelagianiſmi, modo Semipelagianiſmi inſimulat, & vt Caluinus Doctores Catholicos quantum poteſt infamat ſub nomine Neotericorum, eodem plane modo & via qua Caluinus ſuam de abolitione liberi arbitrij ſtruxit ſententiam.

Ianſenium ita ſe egiſſe ſatis conſtat ex ante dictis. Caluinum autem eandem monſtraſſe viam Ianſenio, ſatis etiam conſtat ijs, qui illum legerunt: & quia non eſt ad manus vnicuique, liceat nobis id probare teſtimonijs ipſius Caluini. Lib. 2. Inſt. cap. 5. §. 1. ſibi obijciens hoc argumentum. *Si peccatum aiunt neceſſitatis eſt, iam deſinit eſſe peccatum:* Et reſpondet hæc Pe-

Digitized by Google

lagij quoque arma erant. §. 2. *Subijciunt*, inquit, *niſi ex libera arbitrij electione tum vitia, tum virtutes procedunt, non eſſe conſentaneum vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur:* Et reſpondet, *Hoc argumentum Ariſtotelicum eſt*, (Ianſenius diceret Neotericum,) *Fateor tamen à Chryſoſtomo & Hieronymo alicubi vſurpatum: Pelagianis tamen fuiſſe familiare, nec ipſe Hieronymus diſſimulat.* §. 4. *inſtant præterea, fruſtra exhortationes ſuſcipi: Reſpondet, Similia olim cum obiectarentur Auguſtino, libellum de Correptione & Gratia ſcribere coactus eſt.* Et in Antidoto Concilij Tridentini ad hanc obiectionem *Deus impoſsibilia non iubet*, Reſpondet, *Vexabant etiam Auguſtinum hac Calumnia Pelagiani*, Sic etiam in multis locis aduerſus Pighium loquitur Caluinus: ſic Beza de æterna Dei prædeſtinatione, Sic fere omnes Caluini diſcipuli, ſeu ſpurij illi Patres Dordrectani in ſua pſeudoſynodo. *Bellarminus cum Concilio Tridentino & Pelagio intelligit per gratiam præuenientem, vocationem, cuius efficacia ab hominis ingenio pendet.*

Atque vt Caluinus à Luthero eiuſque diſcipulis & aſſeclis didicit, nos Catholicos Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi accuſare, ſic ab ijſdem Ianſenius didicit nos iniurijs laceſſere, ſub nomine Neotericorum, quod Caluinus & eius aſſectæ ſub nomine Theologorum, Pontificiorum & Sophiſtarum. Caluinus enim lib.

Digitized by Google

velle vt omnes ſalui fiant, vetus hæc fuit Pelagianorum obiectio, ne tibi primo in mentem veniſſe putes. Caluiniſtici Dordrectani Patres, *Rem non nouam agunt hoc articulo: Olim enim Semipelagiani Maßiliæ & Syracuſis eundem tuebantur his verbis, pro vniuerſo genere humano, mortuum eſſe Dominum Ieſum Chriſtum.* Et poſtea, *Dicunt eos qui docent Chriſtum pro omnibus mortuum, populo pernicioſum Pelagianiſmi venenum propinare.*

Videamus iam vnde Ianſenius hauſerit ſuam differentiam, an illam vt præcedentia à Caluino mutuatus ſit. Caluinus illam ter in eodem capite in medium producit, nempe lib. 2. Inſt. cap. 2. §. 5. his verbis: *Hanc diſtinctionem ego libenter accipio, niſi quod illic neceßitas cum coactione perperam confunditur*; Et §. ſequenti, *Pronuntiat enim*, inquit, *tandem Lombardus non liberi arbitrij ideo nos eſſe, quod ad bonum & malum, vel agendum vel cogitandum peræque polleamus, ſed duntaxat quod coactione ſoluti ſumus.* Quod idem Ianſenius Lombardo imponit, & à quo eum liberauimus. Et §. 7. ſequenti: *Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, ſed quia male voluntate agit, non coactione:* & vt omnibus appareat Ianſenium & Caluinum eodem modo loqui de libero arbitrio, & vt Ianſenius non glorietur Caluinum tollere, ſe verò

extollere liberum arbitrium.

Audiatur Caluinus iterum non tollens, ſed ſtatuens liberum arbitrium eodem planè modo quo Ianſenius; ſic enim loquitur lib. 2. in Pyghium: *Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor & conſtanter aſſeuero, ac pro heretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat, ſi hoc inquam ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror.* Et in Antidoto Concilij Tridentini ad Canonem 5. Seſſ. 6. *Sed quia per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ ſit in vtramque partem libera, & ſoluta, titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent auctorem.* Quod repetit lib. 2. in Pighium & lib. 3. in eundem: nec aliter loquitur Lutherus in libro quem edidit de ſeruo arbitrio; *Sequitur nos neceſſariò operari: neceſſariò verò dico, non coactè; neceſſitate immutabilitatis, non coactionis, hoc eſt, homo, cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus ob octo collo, nolens facit malum; Sed ſponte & libenti voluntate facit, hoc vocamus modo neceſſitatem immutabilitatis, quod voluntas ſeſe mutare & vertere aliò non poſſit. Rurſus ex altera parte, ſi Deus in nobis operatur, mutata & blande aſſibilata per Spiritum Dei voluntas, iterum merâ lubentiâ & pronitate, ac ſponte ſuâ vult & facit, non coactè pro natura voluntatis, quæ ſi cogeretur, voluntas non eſſet. Nam*

Digitized by Google

coactio potius eſt, vt ſic dicam, voluntas.

Nec aliter etiam Wiclefiſtæ, vt refert Valdenſis lib. 1. cap. 23. qui loquens de illis: *Reſpondent, inquit, communiter Uuiclefiſtæ trutinantes gloſſam euaſoriam, quod Deus non neceſsitat neceſsitate coactionis ad bonum vel malum futurum, quia illa ſola tollit arbitrij dignitatem, non autem alia neceſsitas præueniens abſolute futuritionem effectus.* Et cap. præcedente refert adhuc ſuperiores hæreticos, qui eadem ſenſerunt, *Vna eſt*, inquit, *radix errorum eius, & omnium prædictorum neceſſitas abſoluta futurorum euentuum. Hæc eſt grata hæreſis; Manichæis, Iouinianiſtis, Iacobitis, Prædeſtinatis, Vuiclefiſtis, & Paganis. Sed propter neceſsitatem iſtam deſtruxerunt hi prædicti liberum arbitrium, quidam publice, ſicut Manichæi, & Iouinianiſtæ; quidam occulte, ſicut Prædeſtinati, & Uuiclefiſtæ, qui profitentur quidem liberum arbitrium ſaluare, & ſaluant quidem exemplariter, at deſtruunt in effectu.*

Iam deſcendamus ad rationes, quibus vtitur Ianſenius, vt probet neceſſitatem ſimplicem, ſeu neceſſitatis immutabilis voluntatis non opponi libertati voluntatis. Omnis eius ratiocinatio, omniaque eius argumenta in hoc vnum coincidunt, non eſſe de eſſentia liberi arbitrij, vt ſit liberum à neceſſitate: quod confirmat exemplo Dei, Chriſti, Angelorum, & beatorum hominũ, qui neceſſariò & liberè ſimul bonum ample-

ctuntur, & eligunt, & Dæmonum, qui mala, nec poſſunt ferri in oppoſitum. Cui licet abunde iam ſatis fecerimus, reſpondemus eſſe de eſſentia liberi arbitrij humani, vt poſſit ferri ad oppoſita, non de aliorum, qui confirmati in gratia, aut obſtinati in malitia, ſed cum de hoc nunc non agatur, ſed tantum ſit oſtendendum Caluinum eiuſque aſſeclas, ijſdem argumentis & rationibus vti, legatur Caluinus lib. 2. Inſt. cap. 3. §. 5. *Porro inquit quod libertate abdicatam voluntatem dico neceßitate in malum vel trahi, vel duci: mirum ſi cui videatur aſpera locutio, quæ nec abſonum habet quippiam, nec à Sanctorum vſu aliena eſt. Offendit autem eos, qui inter neceßitatem & coactionem deſtinguere, neſciunt &c. At ſi quis eos interroget, An non Deus neceſſariò bonus ſit? An non Diabolus eſt neceſſariò malus? quid reſpondeant? Ergo ſi liberam Dei voluntatem in agendo non impedit, quod neceſſe eſt illum bene agere: ſi Diabolus, qui non niſi male agere poteſt, libera tamen voluntate peccat: Quis hominem ideo minus libere peccare dicet, quòd ſit peccandi neceßitati obnoxius?* Nunquid idem eſt, quod tantum vrget Ianſenius, volens homines non alio modo liberos eſſe, quàm Chriſtus, Angeli, beati homines, & Dæmones, qui & ſi dæterminati ad vnum, tamen bonum vel malum neceſſariò, & tamen ſpontè & liberè eligunt, licet differentiam inter humanam libertatem &

Digitized by Google

beatificam ſatis diſcere potuerit apud omnes authores, quos citauit.

Iam nobis oſtendendum venit, quod ſe iactat Ianſenius, ſuæ ſe patronum habere ſententiæ Sanctum Auguſtinum: id etiam à Caluino mutuatum eſſe omnes ſciunt, quantum temporis in legendo Auguſtino impendiſſe ſemper inclamet Ianſenius, ideoque ſe eius mentem percepiſſe: nec alio modo loquitur Caluinus lib. 5. in Pyghium. *Vtinam inquit, tanta & attentione & diligentia verſatus in ſcripturis Pyghius foret, tamque familiariter notum haberet earum ſenſum, quàm & diligenter legiſſe me Auguſtinum, & familiariter cognitam habere eius mentem iactare mihi liceat. Et lib. 6. in eundem dicit ſibi facile adducere ſupra ducentos locos ex Auguſt.* Et lib. 2. Inſt. cap. 2. §. 9. ſic loquitur; *Magnum mihi præiudicium attuliſſe forſan videar, qui ſcriptores omnes Eccleſiaſticos, excepto Auguſtino, ita ambiguè ac variè in hac re loquutos eſſe confeſſus ſum, vt certum quippiam ex eorum ſcriptis haberi nequeat.* Sic etiam Lutherus in lib. de ſeruo arbitrio, exprobranti Eraſmo quod Wiclefum tantum, aut Laurentium Vallam auctores haberet hoc vnum reſpondet. *Quanquam Auguſt. quem præteris, totus meus eſt.* ſic etiam Melancthon in Apologis quam ſcripſit pro Luthero, *An non*, inquit, *Lutheri de libero arbitrio & gratia, ſi rectè rem æſtimes ſen-*

Digitized by Google

tentia tota Auguſtini eſt. Sic etiam Caluinus lib. 2. Inſt. cap. 3. §. 5. iactat ſe nihil afferre, *Quam quod olim ex piorum omnium conſenſu prodidit Auguſt. & mille fere annis, poſtea in Clauſtris Monachorum retentum fuit: Lombardus autem cum neceſſitatem à coactione diſtinguere neſciret, pernitioſo errori materiam dedit;* Quod tamen antea negauerat in cap. 2. præcedenti §. 6.

Nec etiam dubitari poteſt, quin Ianſenius eoſdem proferat locos ex Auguſt. quos olim produxit Caluinus, & poſt eum adduxerunt Caluiniſtæ, quos hîc recenſere nimis longum foret, & videri poſſunt apud eos, qui Caluinum & Caluiniſtas refutarunt.

Nunc probandum nobis venit Ianſenium eſſe Caluiniſtam iiſdem rationibus, quibus contra nititur probare ſe non eſſe. Certè cum Ianſenium lego, Caluinum me legere arbitror, adeo ſimilis illi & verſipellis eſt, vt quaſi credam illum ex Caluini proſapia & genere oriundum, & Caluini progenies ex Picardia in Belgiam transfugerit. Vt enim Caluinus modò aſſerit, modò negat: Sic Ianſenius in ſtatuenda ſua doctrina ſuum ſpargit venenum, & clariſſime ſe explicat, poſt ſtatutam illam non minus apertè negat: Vt videre eſt in Capite 21. & vltimo lib. 8. de Gratia Chriſti Saluatoris, tomo tertio; vbi, vt ſuadeat ſe non eſſe Caluiniſtam, dicit Caluinum lib. 2. Inſt. ſic

In c. 21. & vlt. l. 8. de Gratia Chriſti.

loquutum, *Liberi arbitrij hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, ſed quia malè voluntate agit.* Expreſsè vt arbitror malè citans Caluinum lib. 2. ſine cap. & paragrapho, & in margine lib. 1. cap. 2. & habentur hæc verba apud Caluinum lib. 2. cap. 2. paragrapho 7. in initio, vbi poſt hæc verba malè voluntate agit: Addidit Caluinus, *Non coactione*, quod verbum ingeniosè ſubticuit Ianſenius; Ne ſtatim cuilibet appareret ſe Ianſenium non aliter loqui: Quod quamuis hîc neget, tamen clarè, nec minus quàm Caluinus effutijt, in lib. 6. eiuſdem tomi cap. 4. his verbis, *Recentiores enim imaginantur illum tantummodo actum eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt in libero noſtræ voluntatis arbitrio, & illius tantum nos eſſe dominos, quem pro libitu noſtro poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſumus facere, & non facere. Qua in re iuxta Auguſt. ſententiam creberrimè à nobis explicatam, ſine dubio falluntur.* Vbi abunde illum refutauimus.

Præterea in cap. 11. eiuſdem lib. ſic loquitur Ianſenius, *Indifferentia ad ſpecies diuerſas bonarum actionum libertati eſſentialis eſſe non poteſt.*

Et cap. 6. lib. 6. de Gratia Chriſti, ſic etiam loquitur, *Ex his vides quàm enormiter aberrent illi, qui vt probent ad libertatem arbitrij requiri indifferentiam, & abeſſe debere neceßita-*

Digitized by Google

tem: Illo loco vtuntur Auguſtini de Ciuitate Dei, cum non tantum ex vſu vocis, neceſſitas: *quem apud Auguſt. & veteres ſcriptores habet, ſed ex ipſa contextus euidentia perſpicuum ſit, cum de neceßitate* coactionis loqui.

Item lib. 4. de Gratia Chriſti Saluatoris, capite 10. ſic loquitur Ianſenius; *Hinc ſecundò patet, qua ratione verum ſit, quod in homine lapſo, ante gratiam non ſit amplius illa primæua flexibilitas, qua bene velle poßit, & malè, hoc eſt, cur non poßit alteram libertatis partem promere, quæ benè agendo exercetur.*

Plura eiuſmodi teſtimonia ex Ianſenio poſſem afferre, quibus conſtat illum ſtatuere gratiam efficacem, quam non alio modo conſtituit quàm per determinationem voluntatis ad vnum & immutabilitatem voluntatis, quemadmodum in Angelis, ſublatâ omni flexibilitate liberi arbitrij ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia. Sed qui hoc opus legerit, ſi plura quærit, in antedictis inueniet, & alibi paſſim apud Ianſenium: hoc enim ſemper repetit & inculcat, vt mihi mirum ſit illum hîc negare. Sed iam eadem cautela vſus eſt capite 4. lib. 6. de gratia Chriſti, vbi poſt obiectiones, quas ſibi ipſi obijcit fatendo illas optimas ſibi maxime cautum putat, dicendo ſcripturas, Patres, Concilia, cum de indifferentia agendi boni aut mali & arbitrij flexibilitatem ad vtramlibet

bet partem vrgent, reſpicere certum liberi arbitrij ſtatum, cui huiuſmodi flexibilitas propria eſt. Quæ eſt autem illa libertas, niſi humana? & quem ſtatum reſpicit, nihi hominum viatorum?

Pergamus Ianſenium mendacij arguere, & probare illum idem cum Caluino ſentire, licet eum pudeat. Addit, & paragrapho præcedenti, reprehendit illam ſuauiſſimam ſententiam Sancti Proſperi, quam lib. 2. de vocatione gentium tradit, *Liberum eſſe ijs, qui rationis iudicio vtuntur, à gratia diſcedere, vt non diſceßiſſe ſit præmium, & vt quod non poteſt, niſi ſpiritu cooperante fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri: Tacite carpit id quod Proſper Auguſtino concinens multis ſententijs Capite præcedenti, tradidit Deum ſic in homine operari velle atque perficere, vt tamen id ipſum poſſit, ſi vellet, non facere, ſeu vt Proſper loquebatur, vt à perſeueraturis illam mutabilitatem qua poteſt nolle, non auferat.*

Quaſi verò ille non idem ſtatuat: quomodo enim quis poteſt à gratia diſcedere, vel non diſcedere, niſi habeat arbitrium flexibile ad diſcedendum, vel non diſcedendum? Etſi Deus non aufert homini mutabilitatem, qua poteſt nolle, numquid ſequitur voluntatem eius non eſſe determinatam ad vnum, ſed liberam ad vtrumlibet?

Vu

Digitized by Google

Addit Ianſenius; *Hinc & cap. 5.* addo paragrapho primo, *Caluinus dicit ſe eniciſſe voluntariè fieri, quod liberæ tamen electioni non ſubiaceat, quod ex diametro cum Sancti Auguſtini ſenſu pugnat, qui docet hominem liberè eligere non ſolum malum, ſed etiam bonum. Atque ita eligere vtrumlibet, vt illud ſi nollet, non eligeret, quamuis bonum, non niſi gratia præſtante, eligatur.*

Notet Lector & animaduertat Ianſenium ſeipſum, & ſimul Caluinum refutare, pauciſque verbis fateri, quem ſui erroris patronum elegerat, ſibi aduerſari. Quid aliud egit Ianſenius per triginta ſeptem capita libri 6. de gratia Chriſti, niſi vt doceret voluntariè fieri, quod liberæ tamen electioni non ſubjacet, nempè homines ita determinari à gratia, vt illi neceſſariò obſequantur, nec ſit illis liberum illi non obſequi, & contrarium eius quod dictat amplecti, vtens ad hoc exemplo Chriſti, Angelorum, & beatorum hominum, quorum voluntas ita eſt determinata ad bonum, vt non poſſint eligere malum. Nunc verò palinodiam, canit, ne videatur Caluiniſta, ſic eſt Caluiniſta, & tamen illum pudet idipſum fateri, & ad omnia ſemper ſibi patronum aduocat Auguſtinum, qui certè illum negantem aſſiſtit, & aſſerentem deſerit.

Perſequitur Ianſenius, *Secundum eſt, quod Caluinus doceat gratiam ita mouere hominem, vt*

Digitized by Google

non ſit ei liberum reſiſtere: Sic enim loquitur, Voluntatem Dominus mouet non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, Vt noſtræ poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari. Citans in margine lib. 2. Inſt. cap. 3. & addo ego paragrapho vndecimo, quem ingeniosè & cautè reticuit Ianſenius; Exiſtimans ad paucorum manus peruenire Caluinum, difficilioremque aditum præbere citando caput integrum, & omittendo paragraphum, in quo dolus Ianſenij manifeſtè appareret, vt mox dicemus, poſtquam ſubjecerimus verba Ianſenij, qui ſeipſum confutat hoc modo.

Auguſtino verò Dominus ita mouet voluntatem, vt quamuis infallibiliter conuertatur, & operetur, poſſit tamen motioni Dei refragari, aut obtemperare, ſeu, vt Concilium Tridentinum loquitur, illi diſſentire ſi velit: potentia quippe diſſentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni & conſenſu, quamuis fieri nequeat, vt actualis diſſenſus cum actuali Dei motione iungatur. Certè multum laborat Ianſenius, vt ſuam ſententiam diſſimulet, & alienam à Caluino demonſtret: ſed certè in toto ſuo libro ſexto, & in omnibus operibus ſuis non ſic loquitur vt hîc, nec Caluinus, vt illi imponit hîc: Caluinus enim abſolutè loquitur vt Ianſenius, & ijſdem plane verbis. Ianſenius enim hîc verba ſua diſſimulat, cum dicit Dominum ita mouere voluntatem, vt quam-

Digitized by Google

uis inſtallibiliter conuertatur & operetur, poſſit tamen motioni Dei refragari, aut obtemperare, ſeu vt Concilium Tridentinum loquitur, illi diſſentire ſi velit, quia in omnibus operibus ſuis dicit gratiam neceſſariò agere & trahere voluntatem in obſequium ſui, ita vt illi diſſentire non poſſit. Niſi enim ita loqueretur, ad quid tot productiones Patrum & Scolaſticorum, vt doceret neceſſitatem ſimplicem non opponi libertati? ad quid diceret gratiam Dei eſſe ſemper efficacem, ſi hic fateatur non eſſe ſemper efficacem? quod enim addit de potentia diſſentiendi, illam non repugnare actuali gratiæ motioni & conſenſui, quamuis fieri nequeat, vt actualis diſſenſus cum actuali Dei motione iungatur, ineptum eſt. In eo ludit Lectorem, & illi illudit: ſi enim homo poteſt diſſentire, quare potentia illa non poteſt reduci ad actum: ad quid conceditur, ſi non conceditur vti? & ſi vtatur, & actualiter diſſentiat à gratia, iamne tunc gratia erit efficax? nec certè actualis illi diſſenſus iungetur cum actuali Dei motione, imo diſiungetur, & hoc iam multis exemplis demonſtrauimus ex Sancto Auguſtino, quorum vnum repetere liceat de Pharaone & Nabucodonoſore, qui cum ambo eiuſdem conditionis & æqualiter moti eſſent à Deo, vnus conſenſit, alter diſſenſit. Vnde liquet ſatis gratiam Dei non eſſe ſemper effica-

Digitized by Google

cem, nec neceſſariò mouere homines, ita vt homo ſemper infallibiliter conuertatur & operetur. Nec aliter loquutus eſt Caluinus, quàm Ianſenius, modo, quod dixit, non trunce proponatur, vt illum produxit Ianſenius. Addit enim Caluinus verbis à Ianſenio productis; *Sed illam efficaciter afficiendo*; Modeſtius adhuc loquens Ianſenio, qui non ſolum dicit efficaciter afficiendo, ſed addit etiam neceſſariò.

Sequitur in Ianſenio; *Tertium eſt, quod nolit hominem gratiæ mouenti pediſſequa voluntate conſentire, hæc enim expreſſa ſunt eius verba, hoc perperam homini tribuitur quod gratiæ præuenienti pediſſequa voluntate obſequatur.* Citans in margine ibidem, & hoc iterum mala mente, & malo animo, non citando paragraphum, qui eſt longe antea, nempe in paragrapho 7. vbi rectius loquitur Caluinus, quàm Ianſenius illi imponit: non enim ibi negat Caluinus abſolute, quod dicit eum negare Ianſenius, hominem præuenienti gratiæ pediſſequa voluntate obſequi; ſed negat hoc homini tribuendum, niſi quatenus à gratia præuenitur, quod non modo hæreticum non eſt, ſed Catholicum, & ſic ſæpius Patres & ipſum Auguſtinum loquentes introduximus, & iterum poſtea ſuo loco producemus, verba autem Caluini non trunca nec mutilata hæc ſunt; *Quatenus à gratia præuenitur in eo vt pediſſequam*

Digitized by Google

appelles tibi permitto, ſed quia reformata opus eſt Domini, hoc perperam homini tribuitur quod gratiæ præuenienti pediſſequa voluntate obſequatur.

Sic Caluinus non negat hominem gratiæ Dei pediſſequa voluntate obſequi, ſed vult totum opus Deo tribui: ſic ſæpe loquitur Sanctus Auguſtinus, & ſi ex parte ſua homo aliquid agat, tamen quia agitur à gratia totum Deo tribui. Quanquam & alij Patres aliter loquantur, & ſemper in vnum coincidentes, & inter alios ſi bene memini Macarius iam à me citatus, qui dicit Deum adeò bonum, vt licet ab eo procedat quod agimus, quia tamen ex parte noſtra aliquid agimus, totum opus nobis aſſignat. Nec eſt opus vt hîc adijciamus quæ hîc ſubijcit Ianſenius animo refutandi Caluinum, quæ nihil ad aliud valent, quàm ad refutandum Ianſenium ipſum, qui peius docet quam Caluinus. vult enim voluntatem hominis non modo pediſſequa voluntate, ſed neceſſariò obſequi gratiæ. Sequitur in Ianſenio.

Quartum & pium omnium iſtorum præcedentium eſt quod exete docet, virtutem & vitium bene agere & male non eſſe in noſtra poteſtate. Nam in lib. 2. reprehendit illam ſententiam Philoſophorum, qua dicunt virtutes & vitia eſſe in noſtra poteſtate. Itemque agere & non agere eſſe noſtræ electionis. Paulò inferius carpit illam Chryſoſtomi ſententiam tanquam falſiſſimam, quoniam bona & mala in noſtra

Deus poteſtate poſuit, electionis liberum donauit arbitrium, & inuitos non retinet, ſed volentes amplectitur. Et in cap. 5. damnat Chryſoſtomum dicentem, quod hæc ſit voluntatis noſtræ facultas bonum aut malum eligere, & ſanctum Proſperum, quem ipſe Ambroſius vocat aſſerentem, neminem vnquam à fide receſſurum fuiſſe, niſi mutabilitatis conditionem, Dei gratia nobis relinqueret. Sic citans in margine libro ſecundo Inſt. cap.2. addo ego paragrapho 3. poſtea citat ibidem, addo ego paragrapho quarto, poſtea in margine cap. 5. addo ego §. 3. quæ certe omnia inepte Caluinus, ſed ſimul Ianſenius docet. Quomodo enim virtutes & vitia poſſunt eſſe in poteſtate hominis, ſi voluntas eius ita eſt determinatâ ad vnum, vt non ſit flexibilis in vtramque partem. Item quomodo poteſt agere vel non agere, & quomodo poteſt eligere, ſi vnum ſit neceſſarium? Et ſi Deus poſuit in noſtra poteſtate bona & mala, ſi donauit liberum electionis arbitrium, nunquid ſequitur homines non determinari ad vnum, & proinde ſequi, homines poſſe gratiam Dei amplecti vel reijcere, & ſic gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem, quod vnum impugnandum & expugnandum ſuſcepimus? Et nunquid Ianſenius, vt Caluinus damnat Chryſoſtomum dicentem; *Quod hæc ſit noſtræ voluntatis facultas, bonum aut malum eligere.* Cum hanc nobis Ianſenius ſubripiat fa-

Digitized by Google

cultatem? Cum enim proponitur electio, ſaltem duorum eſſe debet: ſi autem voluntas determinata eſt ad vnum, & ſic tantum vnum poſſit accipere, dicat Ianſenius vbinam ſit electio. Nunquid etiam Ianſenius vt & Caluinus damnat Proſperum ſiue Ambroſium aſſerentem neminem vnquam à fide receſſurum, niſi mutabilitatis conditionem Dei gratia nobis relinqueret, cum ipſe ſupra docuerit voluntatem gratia Dei fieri immutabilem, ſic ex diametro Proſpero repugnando?

Quæ ſequuntur apud Ianſenium, ſunt rationes & argumenta, quæ animo Caluini refutandi producit, quæ tamen non minus ipſi Ianſenio conueniunt, & aduerſus eum dicta volo, cum nihil aliud ſentiat quàm Caluinus ſic loquitur; *Hæc & huiuſmodi quibus Caluinus* (Muta nomen, & dicatur Ianſenius) *paßim ſuos ſenſus prodit, liberum arbitrium à ſuis fundamentis conuellunt. Quid enim ad liberum arbitrium radicitus extirpandum capitalius excogitari poteſt, quàm bene & male agere virtutem & vitium non eſſe in hominis poteſtate? Nam ſecundum Auguſtini principia liberum arbitrium non eſt aliud, niſi quod eſt in noſtra poteſtate, vt ſupra breuiter, & alibi latißime demonſtrauimus: Ex quo capite Sanctus Doctor exerte docet, non ſolum, id, quod per ſe perſpicuum eſt, quod vitia, ſeu peccata ſint in noſtra poteſtate, ſed etiam de actionibus quibuſ-*

cumque

cumque bonis, in poteſtate hominis eſt, mutare in melius voluntatem. Et alibi, *Vide nunc vtrum quiſque credat ſi noluerit, aut non credat, ſi voluerit, profectò fides in poteſtate eſt.* Et in libris contra Fauſtum, *Siue autem iniquitas, ſiue iuſtitia, niſi eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate. Porrò ſi in poteſtate non eſſet, nullum præmium, nulla pœna iuſta eſſet; quod nemo ſapit, niſi qui deſipit.* Vnde alibi, generaliter eodem planè ſenſu, *Homo rectè viuere, cum vult, poteſt: Hoc eſt enim Auguſtino eſſe in poteſtate, quod cum vult, facit, vt ſæpius iam ex ipſo declaratum eſt.*

Conſideret nunc Lector, num hæc penitus deſtruant Ianſenij ſententiam, & quomodo ſtare, & cohærere poſſunt cum eo quod docuit libro tertio de Gratia Chriſti Saluatoris, capite primo, Nullum dari adiutorium Dei poſt lapſum, quin ſimul ſit efficax: ſi enim nullum datur niſi tale, quomodo poteſt homo mutare ſententiam? quomodo poteſt nolle credere, ſi ad credendum neceſſariò eſt determinatus? quomodo aliquid poteſt eſſe in eius voluntate aut poteſtate, ſi vnum tantum neceſſariò & velle & poſſe poſſit? quale præmium, & quæ pœna in eo quod neceſſariò facit, & ineuitabili neceſſitate facit? Vnde etiam quæ poſtea Ianſenius in Caluinum eiaculatur, ipſi adaptamus: *Ex hoc igitur, inquit, immobili principio Sancti Auguſtini ſæpius repetito, & inculcato, non*

Digitized by Google

ſolum falſum eſſe, & Auguſtino directiſſimè contrarium, quod proximè Caluinus dixit: (addo ego ſimul & Ianſenius) *Sed etiam omnia illa præcedentia, quæ notauimus; Nam hoc ipſo quo iuſtitia, & bene viuere, & credere, & mutare in melius voluntatem eſt in noſtra poteſtate, etiam eſt in poteſtate noſtra eligere bonum, & malum, gratiæ Dei reſiſtere, & non reſiſtere, obtemperare, aut refragari: & hoc ipſo illa eadem ſunt nobis libera, quia liberum eſſe nobis, non eſt vt diximus aliud quam eſſe in noſtra poteſtate; nam eſto, gratia ad bene viuendum neceſſaria ſit, non tamen propterea negandum eſt, aut Auguſtinus negat bene viuere non eſſe in noſtra poteſtate.* Sed Ianſenius negat malè viuere eſſe in poteſtate hominis, cum docet gratiam Dei eſſe ſemper efficacem: quia ſi ſemper eſt efficax, rejici non poteſt; & ſi rejici non poteſt, & non rejicitur, ſemper benè viuitur.

Perſequitur Ianſenius, *Quintum denique eſt, quod fronte retecta tandem docet non eſſe in homine liberum arbitrium, ipſumque nomen inane & exterminandum eſſe.*

In hoc quidem ſunt diſſimiles Caluinus & Ianſenius, quòd ille fronte retecta, iſte tecta liberum arbitrium exterminandum docet, ſicque duabus litteris tantum differt Ianſenius à Caluino.

Perſequitur Ianſenius, *Itaque quemadmodum*

Digitized by Google

etiam recentiores notant, Caluinus ex modo agendi, quo pollet gratia prædeterminando voluntatem, liberum arbitrium apertè deſtrui dixit, cum potius libertatem cum gratia conciliare debuiſſet.

Errauit quidem Caluinus, vt & errat Ianſenius, qui tantum laborare non debuit, vt gratiam Dei cum libero arbitrio conciliaret quam Patres, & inter eos S. Auguſt. & noſtri poſteriores Theologi, quin etiam Neoterici ſatis conciliarunt, dum dicunt, gratiam & liberum arbitrium ſimul concurrere ad bonos actus eliciendos.

Perſequitur Ianſenius, *Itaque ſuccumbens difficultati, quod hæreticorum proprium eſt, & in apertam hæreſim erumpens, nomen quidem liberi arbitrij carpens ita loquitur: Semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit; Græcos verò non puduit multo arrogantius vſurpare vocabulum, ſiquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac ſi poteſtas ipſius penes hominem. Et tamen arrogantius vocabulum, nihil omnino aliud ſibi vult, quàm quod Auguſtinus dicit, actus hominis eſſe in eius poteſtate, vt ſuo loco explicatum eſt. Et in eodem capite vocat inane nomen, quod inquit ſine ingenti periculo, non poſſe retinere cenſeo, magno contra Eccleſiæ bono futurum, ſi aboleatur; Neque ipſe vſurpare velim, & alios, ſi me conſulant, abſtinere optarim, de re verò ipſa Cenſorium eius decretum habes, Lib. 1. Inſt. Qui Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſſi, in ho-*

Caluin.lib. 2.Inſt.cap.2.

mine perdito, & in ſpirituale exitium demerſo, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philoſophorum placita, & cæleſtem doctrinam partiendo planè deſipiunt, vt nec cælum, nec terram attingant.

Quæ certè meritò carpit Ianſenius, ſed ſe ipſum carpendo & refellendo: Caluinus enim male tollit liberum, & Ianſenius male extollit illud, dum vult illud aſſimilari arbitrio Angelorum, & beatorum hominum, quorum voluntas confirmata in bonum eſt determinata ad vnum, quod non accidit hominibus viatoribus, qui ideo liberum arbitrium habent flexibile in vtramque partem, vt poſſint eligere bonum, & reprobare malum, & ſic mereri, aut demereri, vt tandem perueniant ad nouiſſimam illam libertatem, qua amplius peccare non poterunt, & Ianſenius ſic extollendo humanam libertatem, licet verbo extollat, re vera abſolute tollit, illam inutilem reddendo. Si enim gratia Dei eſt ſemper efficax, ita vt eius efficacia non pendeat ab hominis libero arbitrio, & non poſſit illam efficacem aut inefficacem reddere, illi aſſentiendo, aut ab ea diſſentiendo; certè inutile remanet liberum arbitrium: & ſi inutile, quid iuuat habere? Vnde concludi poteſt, nihil differre Ianſenium à Caluino, niſi quòd ambo eundem tuentes errorem, Caluinus palam & aperte illum promul-

Digitized by Google

gat, Ianſenius tectè & cautè inſinuat.

Perſequitur Ianſenius, & addit ea quæ ſequuntur, quæ etiam illi quadrare contendo. *Hi ſunt ergo errores illi multi & craſſi, & graues, qui meritò Sacræ Tridentinæ Synodo diſplicuerunt, quibus iugulandis illud decretum conditum eſt, in quo ſanxit, quod homo gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando, diſponitur ad iuſtificationem ſuam, quod homo ipſe non nihil omnino agit inſpirationem illam recipiens, quod illam & abijcere poteſt, itemque vetitum ſub anathematis comminatione, ne quis dicat liberum arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, neque poſſe diſſentire, ſi velit.* Trid. Seſſ. 6. c. 5.

Quæ verò ſequuntur in Ianſenio ea adduntur ab eo, vt oſtendat quæ ſit differentia inter ſuam ſententiam, & Caluini doctrinam: Nos verò vt eius mentem & diſſimulationem aperiamus, & vnicuique notam faciamus, per ſectiones explicabimus; *Quod ſi* inquit, *inter omnes iſtos errores de concordia gratiæ & liberi arbitrij, qui à Sancti Auguſtini principijs dictiſque prorſus remoti ſunt, Caluinus illam quoque Philoſophicam tetigerit quæſtionem de natura liberi arbitrij, in quo ſita ſit, an Sanctus Auguſtinus propter Caluinum luere debet.*

Semper Ianſenius obijcit Sanctum Auguſtinum, quaſi ipſe eſſet Sanctus Auguſtinus, & tanquam reſſuſcitatus ipſe loqueretur; Sed cer-

Digitized by Google

tè ipſe Ianſenius eſt pſeudoAuguſt. aut potius anti-Auguſtinus: ſemper enim illo abutitur, nec ex eo vllum produxit textum, qui ſuæ ſententiæ ſuffragaretur, & ſic nec pro Caluino, nec pro Ianſenio Sanctus Auguſt. luere debet.

Sequitur in Ianſenio; *An ideo negandum eſt, quod apertiſſimum ac certiſſimum eſt, Auguſtinum videlicet, & diſcipulos, ac poſteros eius Sanctos Patres ita conciliaſſe gratiam cum libero arbitrio, vt gratia non cogat violenter voluntatem, ſed ſuauiter ei velle tribuat, atque ita non nihil inſtar lapidis agat, ſed aliquid etiam proprio motu cooperetur, nec alius de ipſo homine, ſed ipſe homo velit.*

Certè cautus & callidus eſt Ianſenius in tegenda & diſſimulanda ſua ſententia. Si enim aliquis alius doctor hoc diceret, nihil in eo improbandum viderem: ſed cum aſtucia & calliditas Ianſenij mihi iam nota ſit, eiuſque ſententia mihi non minus perſpecta ſit, quàm ſibi ipſi, cum illam ex eius ſcriptis ſatis hauſerim, occurro, & reſpondeo, illum docere quidem gratiam non cogere voluntatem, ſed tamen neceſſitare: quod certè in ſuo ſenſu idem eſt; Vbi enim neceſſitas, ibi nulla libertas: & quod addit Ianſenius voluntatem proprio motu cooperari; Hoc eſt quidem veriſſimum eo modo, quo Catholici doctores docent, ita vt poſſit non operari, & ſic non modo coopera-

bitur proprio motu, ſed etiam voluntario, non neceſſario: ſicque gratia tribuit velle ſuauiter homini, vt poſſit tamen non velle, & ſuauius ducere poſt concupiſcentias ſuas ire. Et quod etiam addit Ianſenius, nec alius de ipſo homine, ſed ipſe homo velit, eſt adhuc verum, ſed captioſum, & à mente Ianſenij alienum, vt diſſimulet abſurdum quod docet, *voluntatem hominis à gratia determinari*; Si enim à gratia determinetur, iam eſt agens externum, & non à ſe ipſo determinatur: Præcipuè etiam cum Ianſenius doceat id fieri neceſſariò; Etſic patent omnes cautelæ Ianſenij, qui ſatis Sanctum Auguſtinum aduerſus ſeipſum produxit, dum illum Caluino oppoſuit.

Addit Ianſenius; *An hoc inquam ideo negandum eſt, Auguſtinum ſenſiſſe, ac docuiſſe, quia Caluinus etiam in immunitate coactionis libertatem videtur voluiſſe collocare?* Reſpondeo non modo Sanctus Auguſtinus libertatem collocauit in immunitate coactionis, ſed etiam in immunitate neceſſitatis, & parum intereſſet, ſi non cogi poſſet; ſed tamen poſſet neceſſitari, cum idem inde ſequeretur effectus, Neceſſitatis enim ineluctabile fatum. Sequitur in Ianſenio; *Nouerat Sancta Synodus Auguſtinum rectiſsime de gratia, & liberæ voluntatis concordia ſenſiſſe, vt cui ex ipſius Auguſtini doctrina totum iſtud, quod contra illa Caluini paradoxa definierat, præforma-*

Digitized by Google

tum fuit, nouerat non potuiſſe talem concordiam præformari, niſi ab eo qui recte quoque de libertate ſenſiſſet: nouerat Philoſophicam eſſe quæſtionem, vtrum libertatis ratio, à qua liberum arbitrium dicitur in experte coactionis voluntatis ſita, an in indifferentia ad bonum & malum, ad agendum & non agendum: an vero nonnulla indifferentia, & qualis libertati arbitrij in certis vitæ ſtatibus per accidens iuncta ſit, & in quibus, & quouſque ſe extendat.

Quis non rideat Ianſenium hîc æſtuantem quomodo tegat ſuam iniquitatem, quid vult dicere his verbis? *Vtrum libertatis ratio, à qua liberum arbitrium dicitur in experte coactionis voluntate ſita, an in indifferentia ad bonum & malum;* Quare vocat hanc quæſtionem philoſophicam? Nunquid & Theologica? nunquid liberum arbitrium in eo ſitum eſt, & ideo liberum dicitur, quia expers coactionis & omnis neceſſitatis, & poſitum eſt etiam in indifferentia ad bonum & malum, ad agendum & non agendum; ita vt ſit flexibile in vtramque partem, & poſſit ſe ferre ad indifferentia, nec ab vllo, nec à gratia, nec à Deo ipſo determinetur ad vnum, cum Deus non deſtruat naturam quam ſtruxit, & homini ſeruet libertatem, quam condidit: & Ianſenius ad tales anguſtias redactus eſt, vt ipſe neſciat quomodo effugiat, cum ipſe ſibi omnes vias euadendi obſtruxerit, ſuum Magi-

ſtrum

Digitized by Google

ſtrum Caluinum carpendo & deſerendo, quid enim ſibi volunt hæc verba? *An verononnulla indifferentia & qualis libertati arbitrij in certis vitæ ſtatibus per accidens iuncta ſit, & in quibus, & quouſque ſe extendat.* Dicat Ianſenius aut quilibet pro illo, quæ eſt illa nonnulla indifferentia? eſt-ne quid diminutiuum indifferentiæ, & qualis, cum ipſe his vtatur verbis, quandoquidem ille ipſe quærit, dicat, Nec enim poſſum hariolari, Danus enim ſum, non Oedipus: quæ eſt etiam iſta indifferentia, Iuncta per accidens libertati arbitrij in certis vitæ ſtatibus? quando ergo accidit iſtud accidens, & in quibus vitæ ſtatibus.

Addit Ianſenius; *Et in quibus, ſiue ſtatibus, ſiue hominibus*; Qui ſunt ergo illi homines, vel hi ſtatus? Addit Ianſenius; *Et quouſque ſe extendat*: Ille proponit vt neſciens, vt certè hoc ſciri non poteſt, quia eſt inſanientis imaginatio.

Perſequitur Ianſenius; *Itaque cum accuratè quoque noſſet, quidquid Caluinus de libero arbitrio gratiaque tradidiſſet, circunſpecte ſelegit quidquid de gratia liberoque arbitrio errorem ſaperet, Philoſophicam vero de natura libertatis quæſtionem tacitam intactamque præteriuit, nempe perſpectum omnino Concilij Patribus fuiſſe credo, Auguſtinum ac diſcipulos eius, quidquid tandem aut vere dici, aut ſubtiliter fingi poßit, eos ſenſiſſe re vera tandem non aliter illam de concordia gratiæ & libertatis*

diſſoluiſſe quæſtionem, quàm aſſerendo & multipliciter aßiduéque inculcando contra Pelagianorum quærimonias, quod arbitrium, tangente Deo cor hominis non nihil omnino agit quod arbitrium non nihil cooperatur aſſentiendo Deo, quod non velut inanime quoddam nihil omnino agit, quod non inuitum cogitur aut alius de ipſo, ſed ipſe homo proprio motu vult. Quæ omnia recte Patres ſtatuerunt non modo aduerſus Caluinum, ſed etiam aduerſus Ianſenij ſententiam.

Addit Ianſenius; *Vnde & ipſum Concilium iiſdem omnino phraſibus ex Auguſt. deſumptis, vſum eſt, vt illam gratiæ cum voluntate concordiam, quæ ab Auguſtino tradita eſt, ſe probare teſtaretur quiſquis enim Auguſtini veterumque monumenta paulò attentius volutauerit, ignorare difficulter poteſt quanta orationis luce tum Sanctus Auguſtinus, tum Sanctus Bernardus, cum duobus eruditißimis ſuis amicis Hugone & Richardo de Sancto Victore, vt nihil de intermedijs dicam, ipſeque adeo Magiſter ſententiarum cum illis primis doctis ac Sanctis Commentatoribus ſuis, ſolam coactionis neceßitatem ab arbitrij libertate ſubmouerint; quamuis ei in hac vita quandam agendi & abſtinendi boni faciendi ac mali indifferentiam alio ex capite adeſſe non negauerint.*

Certè ſatis mirari non poſſum Ianſenij impudentiam, qui tam audacter tam falſa audeat pronuntiare; niſi enim legiſſem & refutaſſem

Digitized by Google

ea, quæ dicit ex his auctoribus, fortaſſè illi fidē adhiberem: ſed nullus quidem ex his, ne verbo quidem dixit quidquam ex his, quæ illis imponit Ianſenius: quinimo illi omnes, non tantum hi, quos hîc commemorat, ſed iterum dico omnes vno ore Ianſenio contradicunt; nec tantum ex quodam cap. quandam indifferentiam agendi & abſtinendi, boni faciendi ac mali, ſed abſolute & in omnibus liberum arbitrium flexibile in vtramque partem, ſeu ad indifferentia in omnibus & per omnia ſtatuunt. Nec verum eſt illos ſubmouiſſe ſolam coactionis neceſſitatem ab arbitrij libertate, ſed omnino omnem, vt poterit videre quicumque legerit quæ ſcripſimus, cum refutaremus quæ ex his pro ſe Ianſenius profert, ſimul oſtendendo ex ipſis illos manifeſte, aperte, ſine ambagibus & diſertis verbis Iāſenium explodere, qui addit; *Scio equidem nonnullos recētiores, vt ſuas liberas de diuina gratia ac de dominatu voluntatis ſuper eius influxu & efficientia opiniones plauſibiles reddant, ad nomen incoactæ voluntatis exhorreſcere: ſed ſcio etiam intolerabili antiquitatis imperitia, eos in ſententias illas lapſos eſſe, & ab illa liberi arbitrij & gratiæ intelligentia, quam Auguſt. ac diſcipuli eius cum tota Eccleſia antiqua tradiderunt, eſſe remotiſſimos.*

Scio ego Ianſenium intolerabilem, qui tam apertè tam falſa euomit. Tam longè enim Auguſt. ac diſcipuli eius, cum tota Eccleſia ātiqua

ab eius ſententia diſtant, quàm cœlum à terra.

Addit Ianſenius; *Ex quo effectum eſt, vt non pauca neque exigua doctrinæ capite à ſuis pulpitis proſcripſerint, de quibus veteres haud ſecus ac de principijs primò veris non dubitabant.*

Hæc omnia procedunt à cerebro Ianſenij in ſuis imaginationibus inſanientis. Addit, *Argumenta quibus vel ea improbant, vel ſua probant ſola doctrinæ à maioribus traditæ, ignoratione & humanæ ratiocinationis vtuntur.*

Contra, Ianſenij ſententia ſola doctrinæ à maioribus traditæ ignoratione & inſanientis ſuæ ratiocinationis libertate nititur.

Addit Ianſenius; *Horum vocibus voces Patrum noſtrorum præponendas eſſe duxi, maioremque doctrinæ antiquitus, conſtanter traditæ à ſanctiſſimis eruditiſſimiſque viris, & extra omnem improbæ ſuſpicionis aleam conſtitutis, habendam eſſe rationem, quàm præoccupatarum opinionum, quas Philoſophia peperit, educauit, ac fouit.*

Mira dicit Ianſenius, aſſerit, promittit, nihil præſtat, & tantum ſe iactat.

Quæ ſequuntur in Ianſenio, nulla refutatione indigent, & tantum in illum retorquenda,

Digitized by Google

ITERATA PROBATIO

NOSTRÆ SENTENTIÆ EX SCRIPTVRA SACRA, RATIONIBVS

authoritate Scripturæ fultis, & humanis : Authoritate Patrum, tùm qui Sanctum Auguſtinum anteceſſerunt, tùm qui illi ſucceſſerunt. Deinde ipſius Sancti Auguſtini, Proſperi, & Fulgentij, diſcipulorum eius, Sancti Hylarij, & Conciliorum.

Cum perpetua Sententiæ Domini Ianſenij refutatione.

NVNC verò poſt debellatum Ianſenium, proprijſque armis iugulatum, ne quis ex eius reliquijs denuò prælium inire poſſit, nobis non ſufficiat eius Caſtra diruiſſe, cum ſit facilius deſtruere quàm ſtruere. Edificemus nobis arcem ab omni parte inexpugnabilem, ibique non modo homines milites, id eſt humanas rationes : Sed Patres omnes, tùm qui anteceſſerunt Sanctum Auguſtinum, tum qui illi ſuc-

Digitized by Google

ceſſerunt, illumque ipſum & eius diſcipulos; quin etiam Hilarium, quos ſibi patronos Ianſenius delegiſſe videtur, conſtituamus; Atque etiam Deum ipſum cum tota eius Sacra Scriptura Arcis gubernatorem inſtituamus, à quo vt incipiamus.

Dicimus Deum ipſum nobis tam apertè declaraſſe falſam eſſe Ianſenij ſententiam de ſua gratia ſemper efficaci, vt nullo modo clarius, nec citius illud edicere potuerit. Statim enim & initio creationis, & poſt caſum, dixit Deus » ad Caim, Quare iratus es? & cur concidit fa- » cies tua? Nonne ſi benè egeris recipies, » ſin autem malè ſtatim in foribus peccatum » tuum aderit, ſed ſub te erit appetitus eius, » & tu dominaberis illius. Vnde clariſſimè liquet, voluntatem hominis à Deo & gratia eius non determinari ad vnum: ſi enim determinaretur ad vnum, fruſtrà illi diceret Deus, Quare iratus es? niſi in poteſtate eius eſſet non iraſci, Nec cur concidit facies tua ſi non poſſet non concidere. Quomodo verò Deus potuit hominibus loquendo, ſuam illis clarius patefacere ſententiam de arbitrij ſui flexibilitate in vtramque partem, qua illos donauit, quàm explicando ſub appetitu eorum fore peccatum, dominaturoſque illi, vt illi poſſint conſentire vel ab eo diſſentire, quàm his verbis, Sub te erit, appetitus eius, & tu dominaberis illius?

Digitized by Google

Scio quidem & ſi hæc verba tam clara ſint, vt nulla interpretatione indigeant, tamen Caluinum, à quo ſuum errorem didicit Ianſenius, ea verba in alienum ſenſum torquere, commentario in hunc locum, licet fateatur, nullum ferme expoſitorem ante ſe fuiſſe, qui hoc non referat ad peccatum: *Arbitrantur*, inquit, *eſſe admonitionem ad reprimendos appetitus inordinatos, qui hominis cor ſollicitant, & impellunt. At ego, inquit, cenſeo Moſem omninò aliud velle dicere, quia voci Hæbreæ peccatum ſignificanti appoſita eſt nota generis fœminini, hîc vero duo ſunt relatiua maſculina.* Hîc contendens grammatice ex Hæbrea dictione: ſed egregiè confutatur ab admodum venerando, mihique chariſſimæ memoriæ Patre Cottono in Geneua ſua plagiaria pagina 1811. vbi ex Hæbreo clarè probat maſculina eſſe hæc duo verba: Sed quid moramur Caluini interpretationem, qui fatetur omnes alios interpretes hunc textum ſemper explicaſſe de libero arbitrio, vt omnes Catholici ſentiunt, ex quibus liceat nobis vnum Auguſtinum & eius diſcipulum Proſperum hunc locum de libero arbitrio explicantes proferre, ſic Auguſtinus 15. ciuitate cap. 7. quieſce, in-
» quit, ad te conuerſio eius, & tu dominabe-
» ris illius, Nunquid fratris? Abſit, Cuius igi-
» tur, niſi peccati? *Proſper lib. 2. de vocatione gentium cap. 3.* Hæc verba referens, ad te erit

conuerſio eius, & tu dominaberis illius. Ad te,
» inquit, tua culpa reuocetur. Noli peccato re-
» gnum in te dare, ſed tu potius in ipſum ſu-
» me dominatum. Sed vt hunc textum non egrediamur, nunquid ſatis ex illo conſtat, in eo agi de libero arbitrio ad peccandum vel non peccandum, cum ibi Deus dicat ad Caim, Nonne ſi bene egeris, recipies? Sin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit. Ergo Deus notum vult facere in poteſtate Caim fuiſſe bene vel malè agere, præmium vel pœnam recipere: Et ſi voluntas Caim fuiſſet determinata ad vnum à Deo, ita vt aliter facere non poſſet, ſequeretur illum fuiſſe determinatum à Deo, ita vt ipſum Abelem non occidere non potuiſſet, ac proinde nec punitione dignum, & tamen Deus dixit illi, vocem ſanguinis ſui clamare ad ſe de terra, & idcirco illi maledicit, pænamque imponit.

Sed vt apertiſſimè demonſtretur Ianſenij falſa ſententia de gratia ſemper efficaci, & de voluntate hominis neceſſariò determinata ad vnum, fatendo tamen, licet diſſimulatè, hominem eſſe liberi arbitrij, & ideo magis liberi, quia determinatum ad bonum, vt Angelorum arbitrium; producamus Eccleſiaſticum contraria ſentientem, & docentem Deum reliquiſſe hominem ab initio in manu conſilij ſui. Sed certè ſi eſt in manu conſilij ſui, ſequitur

tur illum non eſſe determinatum ad vnum, ſi enim determinatum, nullo iam amplius conſilio opus eſt: non enim initur conſilium, niſi de his, quæ ſunt noſtræ electionis & arbitrij, vt poſt deliberationem quæ nobis placuerint, pro libito faciamus; Ad cuius deliberationem rationes ex vtraque parte conſiderandæ veniunt, quæ intellectum noſtrum dirigunt ad eligendum id, quod potius & melius iudicamus, ita vt homo ſit quaſi libripens in manu ſua ſtateram & libram habens, qua ponderat ex vtraque parte rationes: quod nobis ſic explicat Sanctus Baſilius hom. in pſalm. 61. Quid igi-
„ tur eſt, inquit, quod dicit, quoniam cuilibet
„ noſtrum intus ſtatera quædam eſt à condi-
„ tore omnium apparata, per quam rerum na-
„ turam poſſis probè diſcernere? Poſui inquit,
„ ante faciem tuam vitam & mortem, bonum
„ & malum, duas inter ſe contrarias naturas:
„ has tu apud tuum tribunal & iudicium exa-
„ mina, ac diligenter expende quid vtilius tibi
„ ſit, &c. *Et paulo infra*: Corporea namque
„ pondera in libræ lancibus probamus; quæ
„ verò ad inſtituendam vitam eligenda veniunt,
„ per liberum arbitrium diſcernimus, quod &
„ ſtateram nominauit, quod momentum æqua-
„ le ad vtrumlibet poſſet capere.

Scio Caluinum Ianſenij Magiſtrum, vt ſe ab hac auctoritate & à rationibus Eccleſiaſtici li-

Digitized by Google

beret, duo reſpondere: Primò illum eſſe dubiæ
Lib.2. Inſt. c.5. paragr.18. auctoritatis ſcriptorem: deinde licet homo acceperit à ſua creatione facultatem adipiſcendæ vitæ aut mortis, &c. Se reſpondere perdidiſſe; *Et alibi in hac integritate, inquit, libero arbitrio*
Lib.1. cap. 15. paragr.8. *pollebat homo.* Quod abſurdum & falſum ſatis ex ipſo Eccleſiaſtico patet, qui iam non Adæ, qui longo ante tempore mortuus erat, ſed Iudæis viuentibus loquebatur: quibus cum prædicaret ſapientiam, admonet illos, ne dicant per Deum ſtare quin habeant, & ne dicant Deum illos tales finxiſſe, aut, vt alij explicant, illos decipere; quia Deus fecit illos ab initio rectos. Secundò ne quidem ipſe Adam lapſu ſuo ſuum perdidit arbitrium, nec eo eius poſteritas caret, vt Catholica docet Eccleſia, & vt paſſim docuit Sanctus Auguſtinus & nominatim in libro de gratia & libero arbitrio cap. 2. etiam hunc proferens textum. Sed non dubito mihi reſponſum iri, hæc valere contra Caluinum, liberum arbitrium tollentem, non contra Ianſenium, qui illud extollit: ſed quæſo qui hæc dicturi ſunt, conſiderent Ianſenium Caluino non conformem in eo, quod tollit liberum arbitrium, ſed tamen in eo, quod Caluinus dicit, liberum arbitrium eſſe titulum ſine re: quia Ianſenius etſi liberum aſſerat arbitrium, tamen dicit ita eſſe determinatum ad vnum à gratia Dei, vt in aliam partem flectere

Digitized by Google

ſe non poſſit, nec Dei gratiam reijcere: & licet à gratia liberum arbitrium neceſſariò determinetur ad vnum, tamen hominem volentem non coactum, neceſſitatum tamen gratiæ obſequi; differentiam magnam ſtatuens inter coactionem & neceſſitatem: quaſi multum interſit homini, ſi neceſſitetur, modò non cogatur, ideſt, vt vulgò dicitur, an à cane maſculo, aut fœminina mordeatur. Sed quæſo imaginetur ſibi aliquis, ſe videre aliquem malefactorem ad ſupplicium duci, & inter eundum ad patibulum aduenire quemdam nuntium, qui dicat ſe adferre gratiam & remiſſionem à Rege impetratam: ita tamen decernentem, vt miſer iſte non coactè, ſed neceſſariò ſuſpendatur; & iſti miſero diceret, Lætare miſer, tua gratia impetrata eſt, quia non coactè, ſed tamen neceſſariò ſuſpenderis, quantum indignaretur ille, ſibi miſero illudi, & miſeriæ ſuæ illuſionem ſuperaddi? hæc enim gratia facit deſcendere miſeros è patibulo, non per ſcalam, ſed per funem. Hæc eſt præclara illa Ianſenij à Caluino differens ſententia. Caluinus ſuam retecta fronte palam edicit; Ianſenius ſuam cautè & tectè vult inſinuare; Caluinus ſumma impudentia, Ianſenius maiore ineptia. Qui enim determinatus eſt ad vnum, certè contrarium velle non poteſt; vt qui ad ſuſpendium determinatus eſt, certè contrarium velle non poteſt, ſiue id

coactè, ſiue neceſſariò fiat: verius eſt enim dicere vtroque modo fieri; Sic enim omnes Patres & Scholaſtici, quos produxit, neceſſitatem cum coactione, & coactionem cum neceſſitate copulant, atque confundunt.

Sed vt abſolutè Ianſenium confundamus, producamus plures textus, qui non ſimpliciter liberum arbitrium ſtatuant, ſed ſimul flexibile in vtramque partem, quod certè dum dico, pro Ianſenio erubeſco. Qui enim dicit arbitrium liberum, ſimul dicit flexibile in vtramque partem; quid enim aliud ſibi volunt dicere verba iſta, cum arbitrium ab arbitrio deriuetur, & liberum dicatur, ex eo quod poteſt liberè eligere quod melius arbitratur? Sed tamen vt ægræ menti Ianſenij ſubueniatur, & menti eorum, qui cum eo ægrotant, ſeligendi à nobis erunt textus, qui magis optionem, & electionem denotant, & declarant: alioquin nulli ſunt fere textus in Scriptura, qui arbitrij libertatem non ſignificent; hoc videri poteſt in Deuteronomio cap. 30. vbi poſtquam Moſes » propoſuit Mandata Dei, dicit illis, ſe pro» poſuiſſe in conſpectu eorum vitam & bo» num, & è contrario mortem & malum: Et » iterum, vitam & mortem, benedictionem & » maledictionem; & concludens dicit populo, Elige ergo vitam, vt & tu viuas, &c. Quod certè non diceret Moſes, ſi homo careret libero

arbitrio, vt vult Caluinus, & eius liberum arbitrium determinatum eſſet ad vnum, vt garrit Ianſenius: ſi enim ita eſſet, fruſtra illi diceret Moyſes, Elige. Sic Ioſue vltimo, eadem electio proponitur populo his verbis: Optio vobis datur, eligite hodie quod placet. *Sic Numerorum 30.* in lege optio datur patri aut marito in voto filiæ aut vxoris; in arbitrio viri erit ſiue faciat, ſiue non faciat. *Sic ſecundo Regum cap. vltimo*, Gad Propheta trium plagarum à Domino, electionem proponit Dauid: Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his. Et Eccleſiaſtici 31. Vir perfectus laudatur, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala, & non fecit.

Præterea multa in Scripturis fieri dicuntur voluntariè & ex voluntate, nulla neceſſariò, *vt in primo Paralyppomenon cap.29.* Si quis ſpontè offert, impleat manum ſuam, & offerat quod voluerit Domino: quia ſi quod vult offert, ergo liberè, nec vlla neceſſitate compulſus. *Sic Dauid dicit Deo*, Voluntariè ſacrificabo tibi. Pſalm.118. *Et Paulus ad Philemonem ſcribit*, Sine Verſ. 14. conſilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. *Et Eſaias*, Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Eſaiæ 1. *Sic Hieremias*, Si pœnitentiam egerit gens illa. *Sic*

Ezech. 18. » *Ezechiel*, Si impius egerit pœnitentiam. Vnde liquidò apparet potuiſſe velle, & audire, & pœnitentiam agere, quandoquidem hi conditionatè loquuntur. Sic Ioannis primo dicitur, » Deus dedit poteſtatem hominibus filios Dei » fieri; ergo & poteſtatem illi poteſtati re- » nuntiare. Sic Sanctus Petrus dixit Ananiæ, Act. 5. 4. Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua poteſtate? Sic Paulus libertatem homini relinquit, Virginem ſuam ſeruare, » aut nuptui collocare; Quod vult, inquit, fa- » ciat; non peccat, ſi nubat: Cuius dicti hanc » reddit rationem, Nam qui ſtatuit, inquit, in 1. Cor. 7. 36. 37. » corde ſuo firmus non habens neceſſitatem, » poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.

Adde penè innumera loca Scripturæ, in quibus clarè & apertè dicitur, gratiam Dei vanam, inutilem & inefficacem remanſiſſe. In Exod. 10. » Exodo dicitur Pharao reſiſtere Deo: Et in Act. 7. » Actis dicit Sanctus Stephanus, Iudæos ſemper » reſtitiſſe Spiritui Sancto. *In Prouerbijs*, Voca- » ui, & renuiſtis. *Et Iſaias ad populum Iſraël di-* Iſai. 65. 2. » *cit*, Tota die expandi manus meas ad popu- » lum non credentem, & contradicentem. *Et* Rom. 10. 21. » *Matthæi 23.* Quoties volui congregare filios » tuos, quemadmodum gallina congregat pul- » los ſuos ſub alas, & noluiſti? Nec modo inefficax fuit gratia in his; Sed quotidie homines illam ſuo libero arbitrio inefficacem reddunt,

Digitized by Google

ſtat enim ſemper Dei gratia ad oſtium, & pulſat; ſi quis aperuerit illi, intrabit ad illum.

Denique cum omnis Scriptura diuinitus inſpirata, ſit vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus: quomodo ad hæc omnia valere poteſt, ſi ea, quæ refert inutilia, remanent voluntati hominis, cum non poſſit ea amplecti, vel recuſare, vtpotè non amplius libera in vtramque partem, ſed determinata ad vnum.

2. Epiſt. ad Timoth. cap. 3. v. 15. & 16.

A Scripturis prouocemus ad rationes humanas, quanquam & illas proferre ſuperfluum iudicemus, cum illæ omnes à Scripturis & Patribus eorum interpretibus naſcantur; cum & nos nihil dicere poſſimus, quàm quod & ipſi aduerſus ſui ſæculi hæreticos edixerint. Si voluntas hominis ad vnum determinata ſit à gratia, vt in alteram partem flectere ſe non poſſit: Vnde hoc quod voluntas ſemper bonum reſpicit, & in illud ſe fert, tanquam in obiectum ſuæ voluntatis, ita vt nunquam malum amplectatur, niſi ſub ſpecie recti; Quemadmodum verum ſemper eſt obiectum intellectus; ita vt nunquam decipiatur, niſi ſub ſpecie veri, ad quod ſiue bonum, ſiue verum nunquam poteſt peruenire, niſi per diſcurſum ſuæ mentis, poſt quem eligit quod bonum,

aut verum iudicat: quod non modo fruſtrà fieret, ſed nec facere poſſet, ſi voluntas eius eſſet determinata ad vnum.

Secundò homo inferioris eſſet conditionis omnibus brutis animantibus, quin etiam omnibus rebus inanimatis, ſi ad perfectionem aſpirare non poſſet, interno quodam voluntario principio, cum res cæteræ, quæ illi ſubijciuntur, ſuos curſus & naturales inclinationes quotidie & omni momento peragant, videreturque Deus magis inimicus homini, quem rationalem condidit, quàm cæteris rebus à ſe conditis, quas cum ſuis cauſis agere ſinit, nempè neceſſaria neceſſariò, contingentia contingenter: hominem verò, quem condidit liberum voluntateque dotauit liberè & voluntariè agere non ſineret, voluntatem eius ſemper in vnam partem determinando, ſiue bonam, ſiue malam.

Quomodo verò quis in adeptione cuiuſquam boni, ſibi complacere poſſet, ſi ad eius adeptionem ex ſua parte nihil cooperatus fuiſſet?

Licet enim Deus tam naturæ quàm gratiæ ſit Auctor, nobiſque ſimul liberum dederit arbitrium, gratiamque ſuam impertierit, vt cooperemur cum illa: tamen opus nobis adſcribit, vt ex eo laudem vel vituperium mereamur, vt iam Maccarium ratiocinantem audiuimus.

Quæ verò laus vel vituperium ex operibus hominum

hominum naſci poſſet, ſi ex parte ſua nihil ageret, vel ageret tantum vt eſſet determinatus à gratia, ideſt, non liberè, ſed neceſſariò ageret, & ageret vt actus à gratia; Quemadmodum equi aut aſini ab inſeſſoribus aurigis & agazonibus aguntur, vt vult Lutherus, id docens claris & apertis verbis, quod Ianſenius occultis. Quod ſi eſſet, non de hominibus conqueri deberet Deus, quod vias ſuas derelinquerent, ſed ſibi imputare, & aduerſus ſe ipſum murmurare, quod non bonus eſſet inſeſſor aut agazo; quinetiam peioris eſſent conditionis homines, quàm equi aut aſini, qui inſeſſoribus ſuis reſiſtere poſſunt, & aduerſus eos recalcitrare, vt Aſino Balaam accidiſſe nobis ipſa Scriptura teſtatur: quod certè aduerſus Deum tanquam potentiorem homines exercere non poſſunt. Num.22.

Præterea vbi virtutes, vbi vitia, ſi omnia neceſſariò determinata, nec vlla opera fiunt ex hominis electione? non enim verè dicere poteſt Ianſenius, ſe nec vitia, nec virtutes tollere, quemadmodum Caluinus: vbi enim neceſſitas, ibi nulla libertas, & proinde nulla electio, & conſequenter etiam ex parte agentis neceſſariò nec vitium, nec virtus, nec laus, nec vituperium.

Atque etiam omnes leges, omnes Magiſtratus, præmia & pœnæ tollendæ. Ad quid enim quemquam punire, ex eo opere, quod neceſſariò fecit?

Digitized by Google

Et quemadmodum in hoc ſæculo præmia & pœnæ tollendæ, ſic etiam in futuro propter eandem rationem: ſublatâ enim hominis libertate ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia, omnis religio corruit; & fruſtra diceretur, homines à Diabolo tentari: ad quid enim valet tentatio Diabolica, & inſpiratio diuina, ſi omnia neceſſariò determinata?

Ecquid etiam nobis amor Dei præſcribitur, ſi ipſe determinauit quantum velit nos eum amare?

Denique ſi peccatum eſt neceſſarium, eſt ineuitabile, & proinde nec peccatum: Nemo enim peccat in eo, quod vitare non poteſt; & ſi bonum neceſſariò fit, nullum inde præmium, nulla merces ſperanda, cum neceſſariò agenti opus tribui non poſſit.

Adde quod ſi nulla libertas, & nulla electio ad bonum, vel malum, omnes homines neceſſariò boni, aut neceſſariò mali, omneſque æqualiter boni, vel mali.

Fruſtrà etiam quidquam Deus præciperet aut prohiberet, ſi homini non ſit liberum facere, aut non facere, ſed neceſſariò determinatus eſſet ad vnum.

Falſumque inueniretur hominem creatum eſſe ad imaginem Dei, qui ſemper liber eſt, licet multa neceſſariò faciat, & ſimul liberè, vt iam ſupra explicuimus, cum multa faciat bo-

na quæ vult facere, quæ non faceret, niſi vellet.

Præterea gratia Dei eodem modo ſe habet erga hominem in bonam partem, quo ſuggeſtio Diabolica in malam: ſed ſemper homo poteſt, & illi liberum eſt, Diabolicæ ſuggeſtioni acquieſcere, vel eam reijcere: ergo ſemper poteſt, & illi liberum eſt, gratiam Dei vel amplecti vel recuſare, & proinde nunquam determinatus eſt in vnam partem.

Pergamus per rationes ex Scriptura: fruſtra diceret Deus homini, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: Poſſet enim reſpondere, ſi ad ea ſeruanda determinatus ſum à tua gratia, illa ſeruabo; ſin autem non ſum determinatus, non ſeruabo.

Sic ſi homini non eſt libertas faciendi aut non faciendi, fruſtra Scriptura præcipit hominibus facere arborem bonam, aut malam, cum hoc non ſit in eius poteſtate, nec poſſit ab hominum voluntate iam determinata ad vnam partem pendere.

Nec ſi malam arborem faciunt, illis imputandum, quia ſæpe quod nolunt, faciunt, & Rom. 7. v. 16.
ſic iam non operantur illud.

Nec iam video quomodo valere poſſit illa Scripturæ ſimilitudo de bonis & malis ſeruis, qui talenta acceperant, ſi eorum voluntas de- Matth. 25.
terminata fuerit ad id, quod egerunt, nec

Digitized by Google

quomodo Deus mundum ſit iudicaturus ex operibus, cum illa iam determinata fuerint vt euenerunt, nempe ſi Angelica libertate prædit ſint homines, vt vult Ianſenius, videlicet boni, quaſi iam determinati ad bonum, & confirmati in gratia, vt Angeli, & beati homines, & mali, tanquam Diaboli iam obſtinati in malitia.

Sed quid opus eſt plures rationes humanas congerere, cùm vix ſit aliquis mortalium, qui non quotidie apud ſe experiatur habere ſe liberam ſui arbitrij voluntatem & poſſe ſe facere quod facit, aut non facere: & Patres producturi ſumus, qui hoc pluribus demonſtrant rationibus, quos eo ordine, & ætate qua vixerunt, quantum poterimus, adducemus, à veteribus & antiquioribus vſque ad Sanctum Auguſtinum. Sic enim & Sanctum Auguſtinum in eadem fuiſſe ſententia probauerimus, cùm dicat ſe non nouam, ſed antiquam Eccleſiæ docere ſententiam: deinde perſequendo, & multos Patres adducendo, qui poſterioribus ſæculis vixerunt poſt Sanctum Auguſtinum, per quem & eius diſcipulos, & Sanctum Hylarium, quos ſibi patronos Ianſenius delegiſſe videtur, finiemus.

Apoſtolicarum Conſtitutionum lib. 6. c. 20.

Clemens Romanus, qui primo ſæculo vixit, non modo docet liberum arbitrium flexibile in vtramque partem, ſed diſertè docet Deum

non determinare voluntatem hominis ad vnum, nec ſolam coactionem excludit, ſed omnem » neceſſitatem, his verbis; Hæc eſt lex bona » & ſancta, non coacta: Si feceris, inquit, mihi » aram, ex terra facies. Non dixit fac, ſed ſi fe- » ceris; non impoſuit neceſſitatem, ſed pote- » ſtati vtpotè liberæ permiſit.

Sed multo clarius in libro tertio Recognitionum, vbi Sanctus Petrus diſputat cum Simone eadem abſurda tuente, quæ Ianſenius: Quem textum, licet longum, hîc tranſcribere operæ pretium eſſe iudicaui, ſub nomine enim Simonis, Ianſenij abſurditas apparebit.

» Simon Magus, inquit ad Petrum, quoniam » Hæbreis iſta mandantur, velut rectè ſcienti- » bus Deum, & opinantibus quod vnuſquiſ- » que in ſuo arbitrio habeat agere, ea de qui- » bus iudicandus eſt: Mihi autem ab illis diſ- » crepat ſententia, vnde vis vt incipiam? Tum » Petrus, Ego inquit, ſuadeo primò quæren- » dum eſſe, ſi in poteſtate noſtra eſt ſcire, vnde » iudicandi ſimus. Et Simon, non ita inquit, » Sed de Deo, vnde & omnes qui præſto ſunt, » audire cupiunt. Et Petrus, Conſtat ergo » apud te, quia eſt aliquid in arbitrij poteſtate » facere, hoc tantum ſcies: Et requiramus vt » dicis de Deo, Simon ad hæc reſpondit, ne- » quaquam. Et Petrus, Si ergo nihil eſt in no- » ſtra poteſtate, ſuperfluum eſt nos quærere ali-

Digitized by Google

» quid de Deo, cum in poteſtate non ſit quæ-
» rentibus inuenire, vnde benè dixeram hoc
» primò quærendum eſſe, ſi eſt aliquid in ar-
» bitrij poteſtate, &c.

Vnde patet Simonem negaſſe libertatem arbitrij, quæ negatio ſubſiſtere non poteſt, niſi in eo quod voluntas ſit determinata ad vnum, quod cum aſſerat Ianſenius, ſequitur eum negare liberum arbitrium, licet dicat ſe non tollere, diuerſo tamen modo quàm Simon. Simon enim dicit omnia ſubeſſe fato; Ianſenius autem dicit, à gratia Dei voluntatem determinari, quod eſt idem dicere, & cum Simone ſentire, ſed alijs verbis: quod etiam manifeſtius patebit ex his, quæ ſequuntur.

» At Petrus reſpondet, quomodo ſcis quia
» non eſt in hominis poteſtate ſcire aliquid,
» cùm hoc ipſe ſcias? Et Simon, Neſcio, inquit,
» ſi vel hoc ipſum ſciam, vnuſquiſque enim ſi-
» cut ei fato decernitur, vel ſapit aliquid, vel in-
» telligit, vel patitur. Tum Petrus, Videte, in-
» quit, Fratres, in quæ abſurda deciderit Si-
» mon, qui ante meum aduentum docebat
» quod homines in poteſtate haberent & ſa-
» pere, & facere quæ vellent; nunc in anguſtum
» redactus neceſſitate verborum, negat eſſe in
» hominis poteſtate, aut ſciendi aliquid, aut
» agendi: & tamen audet ſe Doctorem profi-

„ teri. Sed dic, quomodo ergo Deus iudicat „ ſecundum veritatem vnumquemque pro acti- „ bus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non „ habuit? Hoc ſi teneatur, conuulſa ſunt omnia, „ fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora; ſed & „ Iudices ſæculi fruſtra legibus præſunt, & pu- „ niunt eos, qui malè agunt; non enim in ſua „ poteſtate habent quod non peccarent; vana „ erunt & iura populorum, quæ malis actibus „ pœnas ſtatuunt: miſeri erunt & hi, qui ſer- „ uant cum labore iuſtitiam; beati vero illi, „ qui in delitijs poſiti cum luxuria & ſcelere „ viuentes tyrannidem tenent. Secundum hæc „ ergo nec iuſtitia erit, nec bonitas, nec vlla „ virtus, & vt vis nec Deus. *Et paulò infra*, „ Ego dico ſui arbitrij eſſe hominem. *Et Si-* „ *mon*, Quid eſt ſui arbitrij? Dic nobis? *Pe-* „ *trus ad hæc*, Si nihil poteſt diſci, cur audire „ vis? Arbitrij poteſtas eſt ſenſus animæ ha- „ bens virtutem, qua poſſit ad quos velit actus inclinari. Ex quibus verbis liquidò conſtat non modo omnia fato non ſubeſſe, vt volebat Simon, ſed nec voluntatem à gratia Dei, id eſt Deo determinari ad vnum, cum poſſit homo ad quoſcumque velit actus voluntatem ſuam extendere, & flectere, ſiue in bonam, ſiue in malam partem.

Nec minus clarè idem Clemens libro quinto damnat Ianſenij ſententiam, docendo tan-

Digitized by Google

tum abeſſe, vt arbitrium determinetur in vnam partem, vt ſit ei ſemper liberum ad aliam migrare ſententiam, aut recipere, aut reijcere gra-
» tiam Dei, his verbis: Si quis ſane audiens ſer-
» monem veri Prophetæ velit recipere, aut no-
» lit, & amplexiones eius, id eſt mandata vitæ
» habet in ſua poteſtate, liberi enim arbitrij
» ſumus, nam ſi hoc eſſet vt audientes eum
» iam non haberent in poteſtate aliud facere
» quàm audierant, vis erat quædam naturæ, per
» quam liberum non eſſet ad aliam migrare
» ſententiam: aut ſi rurſus ex audientibus nul-
» lus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat,
» vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti
» non daret locum. Vbi notandum eſt, etſi verbo cogendi vtatur Clemens, tamen eum deſtruere Ianſenij differentiam inter coactionem & neceſſitatem; quia neceſſitas illa Ianſenij ita voluntatem ad vnam partem determinat, vt alteri parti non det locum: quam iterum
» deſtruit Clemens adijciendo: Nunc autem
» quia liberum eſt animo in quam velit par-
» tem declinare iudicium ſuum, & quam pro-
» bauerit eligere viam, conſtat euidenter ineſ-
» ſe hominibus arbitrij libertatem.

Nec minus clarè hoc nos docuit Dionyſius Areopagita cap. 9. de Cœleſti Hierarchia, vbi docet Hæbreos gratiam Dei neglexiſſe, cum poſſent illam non negligere, Deo nobis nullam

imponente

Digitized by Google

imponente neceſſitatem his verbis: Hoc etiam » ipſi eidem populo Hæbreorum vſu veniſſe do- » cetur: agnitionem enim, inquit, repuliſti & » poſt cor tuum iuiſti, neque enim vita nobis » data eſt, cui vis illata ſit aut impoſita neceſ- » ſitas, nec eorum quæ prouidentur libertate » diuini radij illuſtrationis, quæ à prouidentia » manat vel obruuntur, vel obſcurantur; Vnde conſtat gratiam non ita determinare voluntatem in vnam partem, vt non ſit ei liberum in aliam migrare, quod etiam clarius apparebit contra Ianſenium in textu Græco, in quo neceſſitatis tantum mentionem facit, atque idcirco illum margini adſcribo.

Τοῦτο μαρτυρεῖται καὶ αὐτὸς ὁ τῶν ἑβραίων λαὸς πεποιθέναι, ἐπίγνωσιν γὰρ θεοῦ φησὶν ἀπώσω καὶ ὀπίσω τῆς καρδίας σου ἐπορεύθης, οὐδὲ γὰρ ἠναγκασμένην ἔχομεν ζωήν. οὔτε διὰ τὴν τῶν προορωμένων αὐτεξουσιότητα, θεῖα φῶτα τῆς προνοητικῆς ἐλλάμψεως ἀπαμβλύνεται.

Nec minus clarè idipſum docet Ignatius epiſtola ad Magneſianos: Quandoquidem, inquit, » actiones ipſæ ſua habent præmia, & obedien- » tiæ præponitur vita; mors autem inobedien- » tiæ, & ſinguli qui aut hoc, aut illud elege- » runt, in eius quod elegerunt locum habituri » ſunt, fugiamus mortem, & eligamus vitam, &c. » Si quis pietati ſtudet, Dei homo eſt; ſi impiè » agat, diaboli eſt, Non id factus per naturam, » ſed per animi arbitrium.

Si Iuſtinum Martyrem interrogemus, nobis » dicet; Nec quicquam eorum, quæ creata » ſunt, laude dignum eſſet, niſi vim ac pote- » ſtatem altero verſum ſe conuertendi obtineret, &c. Quod certè ſi ita eſt, iam volun-

Oratione ad Gentiles.

tas non poteſt eſſe determinata ad vnum, quandoquidem flexibilis in vtramque partem: quod etiam explicauit alio modo Iuſtinus, & quod » dixit rationibus explicans; Nempè Deum ab » initio genus humanum ita creaſſe, vt intel- » ligentia præditum eſſet, & arbitrij liberi po- » teſtate delectum, tùm vera conſectandi, tùm » bene agendi obtineret. Vbi patet illum argumentari ex dicto Eccleſiaſtici, & illum interpretari liberum arbitrium, poteſtatem eligendi, & bene agendi: Vnde poſtea concludit, Homines nulla excuſatione poſſe deffendi apud Deum, quia ab eo rationales creati, & ad contemplationem appoſiti. *Atque ibidem*, Niſi » libero arbitrio, & ad turpia fugienda, & ad » honeſta diligenda facultatem, habeat morta- » lium genus, non fuerit in cauſa, ſiue culpa, » qualiumcumque demum factorum.

Oratione ad Antoninum Pium.

Idem videre eſt apud Tatianum Oratione » contra Græcos: Relicta eſt autem, inquit, » humano generi voluntas libera, vt in impro- » bos iure animaduertatur, vtpotè ſua culpa » tales, iuſti contra laudes de præclaris actioni- » bus merito auferant, qui liberè & ingenuè » Dei voluntatem non aſpernati ſunt, porrò » Verbi potentia, cum ſecum prænoſſet quid » euenturum eſſet. non ex neceſſitate & fato, » ſed libero eligentium propoſito rerum futu- » rarum exitus prædicebat. Vbi Lector ani-

Digitized by Google

maduertere poteſt homini voluntatem à Deo liberam datam, vt ex arbitrio ſuo iuſti vel iniuſti eſſe poſſent, & proinde non determinati nec neceſſitati ad vnum, nec quicquam fieri ab illis ex fato aut neceſſitate: vbi de coactione nullum verbum, ſed ex libero eligentium arbitrio, quod nec præſcientia Dei tollitur. Nec aliter loquutus eſt Athenagoras, *In Apologia pro Chriſtianis*; Cæterum vt hominibus arbitrij » libertas circa virtutes & vitia data eſt, (ne- » que enim vos vel honore bonos vel pœna » malos afficeretis, niſi ſpontè conſultóque al- » teri boni, alteri mali eſſent,) & alij bona fi- » de res ſibi creditas procurant, alij improbi » perfidique deprehenduntur. Vnde rectè concluditur voluntatem hominum nunquam eſſe determinatam ad vnum, quandoquidem homines boni vel mali conſultò efficiuntur, quod etiam clarè demonſtrat Irenæus, lib. 4. » cap. 9. his verbis, Homo verò rationabilis, & » ſecundum hoc Deo ſimilis, liber in arbitrio » factus & ſuæ poteſtatis ipſe ſibi cauſa eſt, vt » aliquando quidem frumentum, aliquando » autem palea fiat. Quod certè nunquam fieri poſſet, ſi voluntas eius eſſet determinata ad vnum, vel ſi gratiam Dei reijcere non poſſet, & illa ſemper eſſet efficax. Quam abſurditatem *idem Irenæus cap. 71.* apertè detegit, declarando Deum quidem ſemper ſuam offerre

Digitized by Google

gratiam, liberum autem eſſe homini illam re-
» jicere, vel amplecti; Propter hoc, inquit,
» Conſilium quidem bonum dat omnibus (ſu-
» ple Deus) poſuit autem in homine poteſta-
» tem Electionis.

Si Tertullianum conſulo, me docet arbitrij flexibilitatem in vtramque partem, & determinationem ad vnum longè amandat: Hæc erit,
» inquit, vis diuinæ gratiæ potentior vtique
» natura, habens in nobis ſubiacentem ſibi li-
» beram arbitrij poteſtatem; quod ἀυτεξούσιον
» dicitur, Quæ cum ſit & ipſa naturalis atque
» mutabilis, quoquo vertitur natura conuerti-
tur.

Libro de Anima cap. 21.

Quod & alibi latiùs explicat, multiſque ra-
» tionibus firmat: Liberum, inquit, & ſui ar-
» bitrij, & ſuæ poteſtatis inuenio hominem à
» Deo inſtitutum, nullam magis imaginem &
» ſimilitudinem Dei in eo animaduertens, quam
» eiuſmodi ſtatus formam. Neque enim facie
» & corporalibus lineis, tam varijs in genere
» humano ad vniformem Deum expreſſus eſt,
» ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo tra-
» xit, id eſt, animæ ad formam Dei ſponden-
» tis, & arbitrij ſui libertate & poteſtate ſigna-
» tus eſt. Hunc ſtatum eius confirmauit etiam
» ipſa lex tunc à Deo poſita: Non enim pone-
» retur lex ei, qui non haberet obſequium de-
» bitum legi in ſua poteſtate, nec rurſus com-

„ minatio mortis tranſgreſſioni adſcriberetur,
„ ſi non & contemptus legis in arbitrij liber-
„ tatem homini deputaretur, ſic & in poſteris
„ legibus creatoris, inuenias proponentis ante
hominem bonum & malum, vitam & mortem,
ſed nec alias totum ordinem diſciplinæ per
præcepta diſpoſitum auocante Deo & minante
exhortanteue, niſi & ad obſequium & ad con-
temptum libero & voluntario homine.

Vbi Lector inter rationes à Tertulliano allatas, conſiderabit Deum quidem auocare, minari, & exhortari; non autem determinare actum, ſed relinquere hominem liberum, vel ad obſequium, vel ad contemptum gratiæ ſuæ, & proinde etiam gratiæ Dei reſiſti poteſt, cuius etiam dicti ſui rationem reddit cap. ſequenti 6. *Lib. 2. aduerſus Marcionem.*

„ Quia tota libertas arbitrij in vtramque par-
„ tem conceſſa eſt illi (nempè homini) vt ſui
„ Dominus conſtanter occurreret, & bono
„ ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando,
„ quoniam & alias poſitum hominem ſeu iu-
„ dicio Dei, oportebat iuſtum illud efficere de
„ arbitrij ſui meritis liberi ſcilicet: cæterum
„ nec boni nec mali merces iure penſaretur ei,
„ qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet
„ inuentus, non voluntate.

Vbi Lector animaduertet non de coactione, ſed de neceſſitate mentionem fieri à Tertulliano, qui addit: In hoc & lex conſtituta eſt non

Digitized by Google

» excludens, ſed probans libertatem de obſe-
» quio ſpontè præſtando, vel tranſgreſſione
» ſpontè committenda. Denique ſic conclu-
» dens ita in vtrumque exitum, libertas patuit arbitrij. Sic omnes effugiendi vias Ianſenio obſtruens, docet enim flexibilitatem arbitrij in vtramque partem, determinationem ad vnum excludit, aſſenſum voluntatis requirit, gratiæ diſſentiri, & eam reijci poſſe aſtruit. Quod & alijs rationibus firmat, atque indicat his verbis:
» Vt ergo bonum iam ſuum haberet homo
» emancipatum ſibi à Deo & fieret proprietas
» iam boni in homine & quodammodo natura
» de inſtitutione adſcripta eſt illi quaſi libri-
» pens emancipati à Deo boni libertas, & pro-
» prietas arbitrij, quæ efficeret bonum & pro-
» prium, iam ſpontè præſtari ab homine, quo-
» niam & hoc ratio bonitatis exigeret volun-
» tariè exercendæ ex libertate ſcilicet arbitrij,
» non fauente inſtitutionis non ſeruiente, vt
» ita demum bonus conſiſteret homo, ſi ſe-
» cundum inſtitutionem quidem, ſed ex vo-
» luntate iam bonus inueniretur quaſi de pro-
» prietate naturæ, proinde vt & contra malus,
» nam & illud vtique Deus prouidebat, for-
» tior homo prætenderet, liber ſcilicet & ſuæ
» poteſtatis, quia ſi caperet hoc iure, vt bo-
» num quoque non voluntate obiret, ſed ne-
» ceſſitate, vſurpabilis etiam malo futurus eſſet,

Digitized by Google

„ ex infirmitate ſeruitij, proinde & malo ſicut
„ bono famulus: tota ergo libertas arbitrij, in
„ vtramque partem conceſſa eſt illi, lib. 2. ad-
„ uerſus Marcionem cap. 6. Poſt hæc credo
quilibet erubeſcet, voluntatem hominis aſſe-
rere determinatam ad vnum.

Nec diſſimiliter loquitur Clemens Alexan-
drinus lib 1. Stromatum. Quoniam libera ele-
„ ctio & appetitio peccata primum inchoat,
„ falſa autem non vnquam dominatur opinio,
„ à quo cum ſit ignorantia & inſcitia recedere
„ negligimus, iure infliguntur ſupplicia. Si enim
libera electio, ergo nulla determinatio. *Et ibi-
dem* clarè demonſtrat gratiam Dei & voca-
tionem poſſe reſpui, voluntatemque eſſe libe-
ram ad eligendum vel declinandum his verbis.
„ Cum ergo omnes homines vocati ſint „ qui
„ voluerunt obedire, nominati ſunt vocati,
„ non eſt enim apud Deum iniuſtitia, iam ve-
„ rò qui ex vtroque populo crediderunt, ij ſunt
„ populus peculiaris; & in Actis Apoſtolorum
„ hoc his verbis inuenietis, Qui itaque verbum
„ iſtud ſuſceperunt, baptizati ſunt, qui autem
„ noluerunt parere, ſe ipſos abduxerunt, ad eos
„ dicit prophetia, Et ſi velis & me audieritis,
„ bona terræ comedetis, in nobis ſitum eſſe
„ arguens & eligere & declinare. *Et lib. 2.* Nos
„ autem, qui libera & abſoluta poteſtate eli-
„ gere & vitare à Domino datum eſſe homi-

» nibus à ſcripturis accepimus iudicio quod
» tranſmoueri & excidere non poteſt fidei ac-
» quieſcamus, &c. *Et lib.5.* Ergo diuinitus data
» ſapientia, quæ eſt virtus Patris adhortatur qui-
» dem noſtrum liberum arbitrium, excipit au-
» tem fidem curamque & attentionem remu-
» neratur, electionis ſuprema communicatio-
» ne. *Et in eodem libro*; Platonis auctoritatem
» laudans, Liberum, inquit, arbitrium Plato
» his oſtendit. Virtus autem non paret alterius
» dominio, quàm provt vnuſquiſque vel ho-
» norauit vel deſpexerit, erit eius particeps cul-
» pa eius quæ elegit, Deus ſine culpa eſt,
» Deus enim nunquam eſt cauſa malorum. *Et lib. 7.* Hoc ratione qui eſt omnium Græcorum
» & Barbarorum Dominus, perſuadet ijs, qui
» volunt, neminem enim cogit ab ipſo ſalu-
» tem accipere, propterea quod poſſit eligere,
» & omnia à ſe implere ad ſpem accipiendam.
Et ibidem, Quæcumque ergo nihil impedie-
» bant quominus eſſet homini liberum eligen-
» di arbitrium, efficit vt ea ad virtutem opem
» ferrent.

Idem dicit Origenes in proœmio libri primi
» de principijs, Eſt illud, inquit, definitum in
» Eccleſiaſtica deffinitione, omnem animam
» rationabilem eſſe liberi arbitrij & voluntatis,
» eſſe ei quoque certamen aduerſus Diabolum
» & Angelos eius, contrariaſque virtutes, ex
eo

Digitized by Google

„ eo quod illi peccatis eam onerare conten- „ dant; nos verò ſi rectè conſultéque viuamus, „ ab eis nos exuere conemur; Vnde & conſe- „ quens eſt intelligere nos non neceſſitati eſſe „ ſubiectos, vt omnimodò etiam ſi nolimus vel „ mala vel bona agere cogamur. Si enim no- „ ſtri arbitrij ſumus, inſtigare fortaſſe poſſunt „ aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare „ ad ſalutem, non tamen neceſſitate cogimur vel agere rectè vel malè. *Et Homilia ſecunda in Numeros*: Hæc patietur, inquit, ſi non acquieſ- „ cat monitis Angeli, qui ſibi appoſitus eſt ad „ ſalutem; ſui namque arbitrij eſt anima, & in „ quam voluerit partem eſt ei liberum declina- „ re, & ideo iuſtum Dei iudicium eſt, quia „ ſponte ſua ſiue bonis ſiue peſſimis monitori- „ bus paret.

Idem probatur ex Methodio ſermone de Reſurrectione, Quomodo verò etiam libe- „ rum arbitrium in hoc mundo apparet; in „ nobis enim ſitum eſt, vt credamus & non „ credamus, vbi autem in nobis ſitum eſt cre- „ dere & non credere, in nobis rectè facere & „ non peccare, in nobis bene facere & malè facere. Ergo voluntas non eſt determinata ad vnum, nec gratia eſt per ſe efficax neceſſariò, ſed aſſenſum hominis expectat, cum in eo ſi- tum ſit credere vel non credere, facere, aut non facere.

Digitized by Google

Accedamus ad Cyprianum & ſciſcitemur ab eo, num gratia Dei determinet voluntatem in vnam partem; Nobis dicet hominem libertati ſuæ relictum, & in arbitrio conſtitutum, vel mortem appetere, vel ſalutem; atque etiam credendi vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam in Deuteronomio, Ecce dedi » ante faciem tuam vitam & mortem, bonum » & malum; elige vitam tibi vt viuas. Item » apud Eſayam, Et ſi volueritis & audieritis me, » bona terra edetis: ſi autem nolueritis, & non » audieritis me, gladius vos conſumet, os enim » Domini loquutum eſt iſta. Item in Euan- » gelio ſecundum Lucam, Regnum Dei intra » vos eſt.

Epiſtola 55.

Lib. 3. ad Quirinum cap. 52.

Similia docet Zeno Veronenſis ſerm. de Spi- » ritu & corpore: Nulla, inquit, vlli competit » excuſatio, maximè cum res noſtra commiſſa » ſit voluntati, Propheta dicente, Ante homi- » nem bonum & nequam, mors & vita; quod » elegerit, hoc dabitur ei: vnde dubium non » eſt, voluntatem noſtram cui ſe iunxit parti, » præbere iuſtitiam.

Quod certè, vt arbitror, ſatis explicat gratiam Dei non determinare voluntatem ad vnum, cum illi ſit liberum in quamcumque voluerit partem ſe flectere, & cui voluerit, voluntatem ſuam adiungere.

Quod nec minus clarè explicat Euſebius

Digitized by Google

Cæſarienſis, lib. 6. de Præparatione Euangelica cap. 5. Vnicuique, inquit, rationali animæ liberum arbitrium natura ineſt. bonum ergo id ad eligenda bona creatum. Ideo quando malè agit non eſt natura culpanda, non enim natura, ſed præter naturam malum agitur, cum ſit electionis deprauatæ, non naturæ opus. Cum enim virtus ad eligenda bona ineſt, ſi ea non elegit, ſed ſponte melioribus ſpretis, mala incitatus ſequitur, quis poteſt eum dicere morbi ſui cauſam non fuiſſe, præſertim cum inſitam atque ſalutarem legem contempſerit?

Ergo homo liberè poteſt meliora ſpernere, gratiam contemnere, mala ſequi, & malè eligere: & proinde voluntas eius non eſt determinata ad vnum; nec gratia efficax, niſi adſit hominis aſſenſus, qui liberè poteſt abeſſe.

Gratia enim Dei licet præcedens ex noſtro pendet arbitrio, huius enim operis homini inſita natura eſt, & eiuſmodi res eſt, quæ noſtram tantum expectat voluntatem, vt docet Athanaſius in vita Diui Antonij, quod & docet in oratione contra Idola.

Quod nec minus clarè docet Baſilius magnus, docens flexibilitatem in vtramque partem, & immunitatem non modo à coactione, ſed ab omni neceſſitate, his verbis, Vnde ani-

Digitized by Google

„ ma mali capax eſt, quoniam libero facta eſt
„ arbitrio, quod creaturæ rationis participi
„ maximè conueniebat, ſoluta enim hac omni
„ neceſſitate, & vitam in ſua poteſtate conſti-
„ tutam ex Deo accipiens, propterea quod ad
„ imaginem ipſius creata eſt, bonum quidem
„ intelligit, & iucunditatem ipſius nouit, po-
„ teſtatemque habet ac facultatem in boni
„ contemplatione & ſpiritualium fruitione ma-
„ nendi, ac vitam ſibi connaturalem conſer-
„ uandi: habet autem & à bono deflectendi
„ quandoque facultatem, &c.

Homilia Quod Deus non eſt author malorum.

Similia docet ad caput primum Eſayæ & lib. 3. contra Eunomium, vbi flexibilitatem ad vtrumlibet diſertè ſic exprimit: Creatura ita
„ comparata eſt, vt virtutis & diuinæ dilectio-
„ nis præmium ſanctificationem habeat, quo-
„ niam natura vtitur libera, vt ad vtrumlibet
„ poſſit inclinari, ad electionem ſcilicet boni
„ & peioris.

Quod vno verbo explicat Arnobius Rethor,
„ Nulli Deus infert neceſſitatem, imperioſa
„ formidine nullum terret, &c.

Lib. 2. aduerſus Gentes.

Idem etiam docet Sanctus Ambroſius ſic
„ loquens: Non ſeruili ad obediendum con-
„ ſtringimur neceſſitate, ſed voluntate arbitra,
„ ſiue ad virtutem propendimus, ſiue ad cul-
„ pam inclinamur; & ideo nos aut liber affe-
„ ctus ad errorem trahit, aut voluntas reuocat

Digitized by Google

» rationem ſequuta. *Et in Pſalmum 40.* Etenim » homo pacis meæ in quo ſperaui : Bene ait » ſperaui, quia homini dedit eligendi arbi- » trium, quod ſequitur; Poſui, inquit, ante » te bonum & malum : ſi malum elegeris, non » natura delinquit, ſed eligentis affectus. Vnde clarè patet voluntatem non eſſe determinatam ad vnum, quia ſi ad bonum eſſet determinata, nunquam malum eligere poſſet, quod tamen ſæpè delinquendo eligit.

Lib. 1. de Iacob & vita beata, cap. 1.

Quod etiam docet Optatus Mileuitanus Ianſenium refutans, non enim tantum electionem, ſed & neceſſitatem à libertate hominis » excludit; Quicquid, inquit, neceſſitas pec- » cat, non poteſt magnis viribus accuſari. De- » nique voluntas habet pœnam, neceſſitas ha- » bet veniam.

Contra Parmenianum lib. 7.

Et inter cæteros, vt arbitror, clariſſimè Sanctus Hieronymus ad caput quintum ad Gala- » tas : Et aliud eſt, inquit, Dei opus, aliud » hominis. Dei opus eſt, vocare; hominum » credere, vel non credere. Et ſicut alibi ex » Scripturis, liberum hominis affirmatur arbi- » trium, vt ibi, Si volueris, & audieris me. *Et iterum*, Et nunc Iſraël quod petit à te Dominus Deus tuus, & ex hoc vel maximè compro- » batur : verum ſimpliciores quique putantes » ſe deferre Deo, vt perſuaſio quoque noſtra » in eius ſit poteſtate, abſtulerunt partem ora-

Digitized by Google

„ tionis, Et ſenſum contrarium Apoſtolo red-
„ diderunt, ſiue ergo in bonam, ſiue in ma-
„ lam partem, nec Deus nec Diabolus in cau-
„ ſa eſt: quia perſuaſio non eſt ex eo qui vo-
„ cauit nos, ſed ex nobis, qui vel conſentimus,
„ vel non conſentimus vocanti. Hanc quoque
voluntatis indifferentiam & electionem docet
„ Ephrem lib. 5. de extremo Iudicio: Itaque,
„ inquit, præparatum eſt Regnum & vita, re-
„ quieſcit lætitia in lumine ſempiterno: præ-
„ parata eſt etiam mors, pœna, luctus, & te-
„ nebræ; Eligat vnuſquiſque, vt ſi propria vo-
„ luntate voluerit, rectam viam incedat.

Nec diſſimiliter Cyrillus Hyeroſolimitanus omnem determinationem & neceſſitatem excludit, dum ſic loquitur: Liberum arbitrium
„ habet anima, & poteſt quidem Diabolus in-
„ citare, cogere autem præter voluntatem om-
„ nino non poteſt. Subijcit tibi ſcortationis co-
„ gitationes, ſi vis probas, ſi non vis improbas:
„ ſi enim ex neceſſitate ſcortaris, cuius gratia
„ gehennam Deus paraſſet, etſi natura non vo-
„ luntate ageres iuſtè, cur Deus coronas para-
„ ret.

Catecheſi 4. de ſtatu hominis.

Nec aliter etiam Macarius Ægyptius, Ho-
„ milia 15. Tu tui iuris es, & mutabilis naturæ.
„ Itaque ſi perire libeat, ſi velis blaſphemare,
„ venena conficere, ac hominem occidere,
„ nemo tibi repugnare aut prohibere te poteſt.

Digitized by Google

„ Si velit quiſpiam, obtemperat Deo, ſequitur-
„ que viam iuſtitiæ ac deſideria vincit, mens
„ enim eiuſmodi quæ reſiſtit ac reluctatur, po-
„ teſt obfirmata ratione coërcere vitiorum im-
„ petus & obſcena deſideria, &c. *Item*, Atque
„ vt prorſus appareat, & rata ſit arbitrij liber-
„ tas, quam ab initio Deus largitus eſt homi-
„ ni, ſumma cum diſpenſatione res illius admi-
„ niſtrantur, fitque corporum ſolutio, vt in vo-
„ luntate ſit hominis, vt conuertatur ad id quod
„ bonum eſt, aut malum: neque enim perfe-
„ ctus homo bono aut profundè malus & ſe-
„ ipſum vas efficiens Diaboli, per quem totus
„ orbis damnatus eſt, peccato neceſſitate qua-
„ dam adhæret; ſed habet liberum arbitrium
„ vt vas efficiatur electionis & vitæ. Similiter
„ è contra, qui diuinitate ſunt inebriati, licet
„ pleni ſint, & adhæreant Spiritui ſancto, non
„ tamen vlla neceſſitate detinentur, ſed libera
„ potiuntur libertate, vt conuertantur, & faciant
„ quod libuerit in hoc ſæculo. Vnde licet concludere gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem; gratiam Dei non determinare voluntatem ad vnum; nec neceſſitatem vllam imponere voluntati, imò licet agatur à gratia, & plenus ſit, & adhæreat Spiritui ſancto, vt loquitur Macarius: tamen hoc non prohibere, quin ſemper libera ſit & poſſit reſiſtere gratiæ & conuerti ad malum, & facere quidquid illi libuerit

Digitized by Google

in hoc ſæculo, ſic vt nullo caſu nec tempore gratia determinet voluntatem ad vnum, ſed hoc ſemper pendeat ab arbitrio hominum ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia libero.

Quod itidem eleganter & eloquenter diſſerit Gregorius Nazianzenus oratione 31. in illud Euangelij, Cum conſummaſſet Ieſus ſermones
» hos, &c. Non omnes, *inquit*, capiunt ver-
» bum hoc, ſed quibus datum eſt, ne hæreti-
» co illo affectu tenearis, ne multiplices natu-
» ras introducas, ne terrenos & ſpirituales &
» medios. Sunt enim quidam ita malè affecti,
» vt alios omnino perditæ eſſe naturæ putent,
» alios ſalutem accepturæ, alios denique, vt
» eos vel ad virtutem vel ad vitium voluntas
» duxerit, ita ſe habere. At verò aptitudinem
» quidem alios alijs, vel maiorem vel mino-
» rem habere, ipſe quoque concedo, cæterum
» ad adipiſcendam perfectionem aptitudinem
» ſolam minimè ſufficere contendo, rationem
» enim eſſe, quæ eam excitet, vt natura in
» opus prodeat, quemadmodum ſilex ferro
» pulſatus atque ita ferrum fiat cum audieris
» quibus datum eſt, adde volentibus datum
» eſt, atque ijs qui ea animi propenſione ſunt.

Sic etiam Epiphanius Hæreſi 19. Omnibus
» manifeſtum eſt clarumque ac minimè am-
» biguum, quod liberum arbitrium exhibuit
» nobis Deus per ſe ipſum loquutus, quare

circa

Digitized by Google

» circa hominem eſt bona operari aut malas
» res appetere.

» Ergo non eſt determinatum ad vnum, &
» non obſtante gratia poteſt illâ ſpretâ mala
» appetere, aut bona.

Sed optimè omnium, vt arbitror, Gregorius Nyſſenus, Ianſenium confutat oratione Cathechetica cap. 30. & 31. Cuius poſterioris hæc ſunt
» verba: Sed neque, inquit, ad hæc litigioſa
» egent contradictione; dicunt enim Deum
» poſſe, ſi velit, eos etiam qui reſiſtunt neceſſa-
» riò compellendo attrahere ad ſuſcipiendam
» prædicationem. Vbi eſt ergo in his liberum
» arbitrium? vbi autem eſt virtus? vbi laus eſt
» eorum, qui rectè ſe gerunt? Eſt enim ſolum
» inanimorum, aut eorum, quæ ſunt expertia
» rationis, aliena voluntate ad quod videtur ad-
» duci. Rationis autem particeps & intelligens
» natura, ſi liberum depoſuerit arbitrium, ſimul
» etiam perdit gratiam intelligentiæ. Ad quid
» enim ſua vtetur mente & cogitatione, ſi po-
» teſtas eius eligendi; quod ſuo arbitratu con-
» ſiſtit, ſita eſt in alio? ſi manet autem ineffi-
» cax & nullius vſus liberum animi inſtitutum
» & electio, neceſſariò etiam abolita eſt virtus,
» impeditâ immobilitate arbitrij. Si non ſit au-
» tem virtus, honore priuata eſt vita, & fato
» procedit ratio; ablata eſt laus eorum qui
» rectè viuunt, vitium eſt immobile, dijudi

„ cari non poterit vitæ agendæ diſcrimen. Quis „ enim vt eſt rationi conſentaneum amplius vel „ intemperantem reprehenderit, vel tempe- „ rantem laudauerit, cum quilibet in promptu „ hanc habeat reſponſionem, quod nihil eorum, „ quæ noſtro arbitratu ſtatuimus, in noſtra eſt „ poteſtate: maiori autem potentia humana „ trahantur inſtituta & propoſita, id quod lu- „ bet ei, qui dominatum obtinet.

Qua ratiocinatione ſi bene conſideretur, omnes omnino Ianſenij rationes fugantur & euaneſcunt.

A Gregorio Nyſſeno tranſeamus ad Ioannem Chryſoſtomum, & examinemus quid ſentiat de Ianſenij doctrina; num illi faueat, aut refragetur: ſic autem nobis reſpondet & ſe „ exprimit, homilia 22. in Geneſim. Vidiſti quo- „ modo ſui iuris naturam noſtram Dominus „ firmauit. Vnde enim dic oro illi ad malitiam „ properabant, & ſeipſos pænis faciebant ob- „ noxios; iſte autem virtutem eligebat vt fugiens „ eorum ſocietatem pœnam non guſtauit, „ nonne manifeſtum ſua quemque voluntate „ vel malitiam, vel virtutem eligere. Nam ſi „ ita eſſet, & naturæ noſtræ poteſtas inſita eſſet, „ neque illos puniri, neque iſtos virtutum re- „ tributiones accipere oportebat, verum quia „ in noſtra voluntate totum poſt Dei gratiam „ relictum eſt, (Conſideret Lector hæc verba

„ poſt Dei gratiam) Ideo & peccantibus ſup-
„ plicia propoſita ſunt, & bene operantibus retributiones. Vnde liquet eum docere contra Ianſenium, Gratiam non determinare voluntatem ad vnum, ſed voluntati ſemper relictum eſſe, ire poſt illam vel poſt concupiſcentias ſuas, id eſt gratiam amplecti, aut reijcere, quod etiam confirmat ſermone in illud Eſaiæ, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, &c. Si velle, inquit, aut nolle veſtrum
„ non eſſet, hoc eſt, ſi viuendi rectè, an ſecùs,
„ libertas adempta nobis fuiſſet, nec bonus
„ vnquam cœleſte munus dignè perciperet,
„ nec malus ſupplicium competens inueniret;
„ ſed totum Deo deputaretur authori, qui alios
„ impingeret in contemptum, formaret alios
„ in obſequium: ſed cum diuinæ legis edicta
„ in Eccleſia pendeant, quibus quid fieri Deus
„ velit, aut nolit eius familia inſtruatur, vt li-
„ beræ quis voluntatis arbitrio præcepta aut
„ impleat, aut contemnat; vnde ſibi quiſque
„ quod meretur inſtituat, nec poſſe aliud me-
„ reri quàm velit; quippè cui legis propoſitus
„ tenor ſit, ex quo quod velit eligat, & quod
„ nolit contemnat, vt iudicio hominis Dei iu-
„ dicium celebretur, vt qui libertatem con-
„ ceſſam in obſequium dederit, muneretur; qui
„ in contemptum duxerit, condemnetur.

Poteſtne quicquam dici vel produci, quod

Digitized by Google

clarius & apertius Ianſenij ſententiam deſtruat, de gratia eius ſemper efficaci. Si enim hoc eſſet & ſemper & neceſſariò, numquid totum Deo deputaretur auctori, qui alios impingeret in contemptum, formaret alios in obſequium? Nec eſſet liberum voluntati hominum præcepta implere, aut contemnere, cum alius eſſet determinatus ad bonum, alius ad malum, idque neceſſariò : nec poſſet ille liberè velle malum, ille bonum; ille non poſſet mereri, alter non demereri : ſic nullus poſſet eligere, nec hic contemnere, & alter amplecti gratiam, ſicque ſequeretur iudicium Dei hominis iudicio non celebrari, cum vni libertatem conceſſerit in obſequium gratiæ, alteri in contemptum, ſic libero hominis arbitrio penitus ſublato aut ad nihilum, & ad non vſum redacto.

Poſſem plures alios authores ante Auguſtini tempora laudare, ſed hos ego ſufficere credo vt conſtet apud omnes hanc fuiſſe omnium Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, ſicque totius Eccleſiæ Catholicæ ſententiam. Et cum Sanctus Auguſtinus profiteatur ſe non nouam docere doctrinam, ſed veterem & Catholicam; Inde credo probatum eſſe hanc eandem eſſe Sancti Auguſtini doctrinam, quam etiam celebrem ab eius tempore huc vſque retentam in Eccleſia fuiſſe etiam probare decreuimus. Atque vt breuitati ſtudeamus, pau-

Digitized by Google

cos quoſdam celebriores ſeligemus, & in medium adducemus: deinde ad ipſum Sanctum Auguſtinum, eiuſque diſcipulos, & Hylarium vt iam prædiximus, redibimus.

Arnobius Romanus ad Pſalmum 9. ſic loquitur; Libertatem arbitrij & negare periculum eſt, & nudare peccatum. Si enim negaueris, omnibus fræna laxaſti: ſi nudaueris decepiſti, eam negas ſi dixeris, Deus ſi vult bonus ſum, ſi non vult, bonus non ſum, cum conſtet Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & vnuſquiſque ſuo ſit iniquus arbitrio: nudas autem, cum tantum ipſi arbitrio dederis, vt eum rebus diuini adiutorij denudaris, &c. Vnde liquet Deum quidem velle omnes ſaluos fieri, & ad hoc ſuam offerre gratiam, atque ab arbitrio hominum pendere illi obſequi, vel non: ſic vt nemo poſſit dicere, Deus vult hunc hominem ſaluum fieri, atque ideo voluntatem eius determinauit ad bonum; huius autem non ſic, ſed omnes ſua gratia præuenit: conſentire autem, aut diſſentire voluntatis arbitrio relinquit.

Nec diſſimiliter loquitur Ennodius Ticinenſis: Debemus, inquit, gratiæ quod vocamur: debemus gratiæ, quod occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur: Noſtræ tamen electionis eſt, quod beneficia demonſtrata ſectamur.

Digitized by Google

Vnde rectè ſequitur, ſi electionis noſtræ eſt eligere beneficia demonſtrata, ergo & negligere, alioqui nulla eſt electio: ſi autem eſt electio, ergo nulla determinatio, & proinde ineptus Ianſenius. Perſequitur idem Ennodius; „Via enim ſcelerum non Imperatrix noſtra „eſſe legitur, ſed famula, cum de peccatis di„citur, ſub te erit appetitus eorum. Quid enim „ſibi vult vniuerſa Prophetæ, quaſi ſertis re„dimita elocutio, Noli æmulari in malignan„tes: noli confidere in Principibus: noli fieri „ſicut equus & mulus. Et Apoſtolus, Nolite fieri ſerui hominum, toties noli, in ſuperna „admonitione quo reſpicit, ſi aliud non licuit. Ecce quomodo paucis hic author ſtatuit indifferentiam voluntatis, contra Ianſenium, & eius determinationem ad vnum. Nec minus breuiter, & tamen clariſſimè, idem declarat Laurentius Nouarienſis homilia prima de pœ„nitentia, Homo noli diffidere, res in prom„ptu eſt, vita in manu eſt, virtus in volunta„te eſt, victoria in arbitrio eſt: ſi voluiſti, vi„ciſti; ſi nolueris, victus relinqueris. Dicat nunc quicumque voluerit, quomodo gratia ſemper efficax, quomodo determinatio neceſſariò ad vnum poſſit conſiſtere cum arbitrio voluntatis, quod poteſt gratiam inefficacem reddere, & determinationem eludere, & tollere.

De libero arbitrio ad Conſtantium.

Et diſertè Ioannes Caſſianus in Ianſenium ſuam fert & declarat ſententiam, his verbis: „ Adiacere homini in quamlibet partem libertatem, etiam liber ille, qui dicitur paſtoris, „ apertiſſimè docet, in quo duo Angeli vnicuique noſtrum adhærere dicuntur, id eſt „ bonus ac malus; in hominis verò opinione „ conſiſtere, vt eligat quem ſequatur: Et idcirco manet in homine ſemper liberum arbitrium, quod gratiam Dei poſſit vel negligere vel amare; Non enim præcepiſſet Apoſtolus dicens, Cum metu & tremore veſtram „ ſalutem operamini, niſi ſciſſet vel excoli à „ nobis eam poſſe, vel negligi. Collatione 13. c. 12.

Theodorus autem Ancyranus ſententiam Ianſenio aduerſantem mirificè illuſtrat oratione de Natiuitate Saluatoris: Solum hoc animal inter cætera omnia, liberum conditum „ eſt; ſolum enim hominem ſui arbitrij ſuæque voluntatis Dominum conſtituit Deus; „ Nonne cernis ſolem naturali quadam vi, ad „ actum volui? nonne conſtantem ſempérque „ ſibi ſimilem illius conuerſionem aduertis? „ Cur autem eodem ſemper modo circumagitur? quia iudicium non habet: tu autem „ productus liber, facis quod lubet, neceſſitatem, quæ te vi impellat, nullam pateris: „ liberum eſt animi tui iudicium: ſol famulatur neceſſitati, homo ſententiam ſortitus eſt

» libetam. Iam dic vter præſtantior eſt? Ser-
» uus ne, an dominus, neceſſitatis iugo ſub-
» iectus? an ab omni neceſſitate immunis?
Valeat nunc Ianſenius cum ſua differentia inter coactionem & neceſſitatem, vt nobis tam abſurda ingerat.

Cyrillus Alexandrinus idem ſentit cum cæteris prædictis Patribus ſic loquens, ad caput pri-
» mum Eſaiæ; Si volueritis, bona terræ comede-
» tis, cum poſuerit, inquit, vniuerſitatis Deus
» in propéſione inclinationeque eorum qui hac
» pædagia informati ſunt, cum bonum eligere,
» tum à malis recedere, liquidò probat rerum
» faciendarum & fugiendarum habenas cuique
» mortalium dediſſe, vt ad id quod elegerit
» quis, liberè ire poſſit, cum hoc verum ſit,
» vana nimirum & frigida tutela eſt, conten-
» dere ac dicere, naturale eſſe in homine ma-
» lum vel fortunam vel fatum, aut natiuitatem
» clauum rerum humanarum gubernare, & ad
» quod cuique eorum placet, quoſlibet pro
» ſuo arbitratu adigere, vt vitioſitatis aut vir-
» tutis vitio fungantur, non ad id voluntario
» impulſu ac propenſitate ingreſſi, ſed tan-
» quam ineuitabili nutui ſubiugati, ac ſubditi
» neceſſitate dominantium ægrè ac difficulter
» impulſi.

A Græcis redeamus ad Latinos, Gregorius Magnus multis in locis ſe explicat aduerſus Ianſenium,

Digitized by Google

ſenium, ex quibus hunc tantum profero, cum cæteri idem dicant; Si bona, inquit, noſtra ſic „ omnipotentis Dei dona ſunt, vt in eis aliquid „ noſtrum non ſit, cur nos quaſi pro meritis „ æternam retributionem quærimus? Si autem „ ita noſtra ſunt, vt dona Dei omnipotentis non „ ſint; cur ex his omnipotenti Deo gratias agi- „ mus? ſed ſciendum eſt, quia mala noſtra ſo- „ lummodo noſtra ſunt, bona autem noſtra „ & omnipotentis Dei ſunt & noſtra, quia „ ipſe aſpirando nos præuenit, vt velimus, „ qui adiuuando ſubſequitur, ne inaniter, ve- limus, ſed poſſimus implere quæ volumus. In Ezechielem lib. 1. hom. 5.

Venerabilis etiam Beda vno verbo nobis declarat gratiam Dei poſſe reſpui, & ſic voluntatem non eſſe determinatam ad vnum; Lignum „ inquit, ſcientiæ boni & mali proprium eſt „ voluntatis arbitrium in medium noſtrum po- „ ſitum, de quo, ſi quis relicta Dei gratia gu- „ ſtauerit, morietur. Ad caput 2. Geneſ.

Sed Ianſenij ſententiam maximè confutat & noſtram confirmat Anſelmus; Dialogo de li- „ bero arbitrio cap. 5. & 10. & lib. de concor- „ dia gratiæ & liberi arbitrij, ex quo hæc pro- „ fero verba: Cum aliquid dicit ſacra Scriptura „ pro gratia, non amouet omnino liberum ar- „ bitrium, neque cum loquitur pro libero ar- „ bitrio excludit gratiam, quaſi ſola gratia, „ aut liberum arbitrium ſolum ſufficiat ad ſal-

Digitized by Google

„ uandum hominem, ſicut videtur illis qui fa-
„ ciunt hanc quæſtionem. Ita quippe intelli-
„ genda ſunt dicta diuina, vt hoc excepto,
„ quod dixi de infantibus, nec ſola gratia, nec
„ ſolum liberum arbitrium ſalutem hominis
„ operetur; Quippe cum dicit dominus, Sine
„ me nihil poteſtis facere, non ait, Nihil valet
„ vobis veſtrum liberum arbitrium, ſed nihil
„ poteſt ſine mea gratia. Et cum legitur, Ne-
„ que volentis, neque currentis, ſed miſerentis
„ eſt Dei, non negatur in volente, neque in
„ currente aliquid prodeſſe liberum arbitrium,
„ ſed ſignificatur non eſſe imputandum libero
„ arbitrio quod vult & quod currit, ſed gra-
„ tiæ.

Sanctus Bernardus non minus nobis fauet, & Ianſenij ſententiam deſtruit, vt iam oſtendimus, cum Ianſenius illum pro ſe adduceret, ita vt quaſi ſit ſuperfluum plura ex eo loca proferre, vnum tamen hîc tranſcribo ex tractatu
„ de gratia & libero arbitrio: Si ex neceſſitate,
„ inquit, & abſque conſenſu propriæ volunta-
„ tis, mala bonaue fieri poſſent, rationalis creatura aut miſera profectò eſſe nulla ratione deberet, aut beata penitus eſſe non poſſet, cui nimirum in vtrauis parte id deeſſet, quod ſolum in ea miſeriæ ſiue beatitudinis capax eſt, id eſt voluntas, &c.

Quibus adde quæ iam produximus cum

Ianſenium illum allegantem refelleremus. Sic etiam docet Hugo à Sancto Victore in locis à nobis ſupra citatis, & lib. 4. cap. 3. Inſtitutio-
» nis monaſticæ de arca morali. Ordinatiſſi-
» mum eſt, inquit, de noſtra reparatione di-
» uinæ diſpenſationis conſilium, vt qui ſpon-
» tè recidit, non coactus, ſed ſponte ſurgat, &
» qui per liberum arbitrium infirmatus eſt, ſa-
» nitatem non recuperet, donec per liberum
» arbitrium ſanari velit.

Sic etiam docet Richardus à Sancto Victo-
» re, ad locum primæ Corinth. 6. Omnia mihi
» licet; Deus, inquit, in hominis poſuit li-
» bertate, vtrum velit bona an mala eligere.
» Hinc eſt illud Sapientis de Domino dictum,
» Apoſui tibi ignem & aquam, ad quod vo-
» lueris porrige manum tuam. Ante hominem
» vita & mors, bonum & malum, quod pla-
cuerit dabitur ei.

Sic etiam Magiſter Sententiarum lib. 2. di-
» ſtinct. 25. littera A; iam ſupra à nobis alla-
» tus; Poteſtas, inquit, ipſa & habilitas volun-
» tatis & rationis, quam ſupra diximus eſſe
» liberum arbitrium, libera eſt ad vtrumli-
» bet, quia liberè poteſt moueri ad hoc vel
» ad illud.

Alexander de Hales, quem etiam pro ſe Ianſenius attulit, ſic aduerſus eum ſententiam ſuam Parte 1. qu. 26. Memb. 4. art. 3.
» dicit: Deus dedit libero arbitrio vt conſen-

„ tiat, vel non conſentiat bono, & ipſi malo „ conſentiat, ſi velit.

Eodem quoque modo loquitur Albertus Magnus ad caput 4. Ioannis, In voluntate no„ ſtra eſt obicem fidei ponere, vel conſentire „ ad credendum, & per conſequens in volun„ tate noſtra eſt, vel in peccatis mori, vel de „ peccatis exire.

Sic quoque Sanctus Thomas, vt iam ſupra vidimus, ex quo tamen & hunc locum proferre libet, vt appareat cuilibet, cum non docere determinationem ad vnum, ſed ſemper eſſe liberum voluntati, eligere vnum, & aliud reprobare, cum enim in quæſtione 24. art. 1. de veritate inter quæſtiones diſputatas docuiſſet, abſque omni diſputatione hominem liberi arbitrij eſſe ponendum, cum ad hoc fides adſtringat, & ſine libero arbitrio non poſſit eſſe meritum, vel demeritum, iuſta pœna vel præ„ mium: addit, Ad hoc etiam inducunt mani„ feſta iudicia, quibus apparet hominem libe„ re eligere vnum & aliud refutare, &c. Ergo „ poteſt amplecti gratiam, id eſt illam eligere, vel reijcere, & proinde non eſt determinatum à gratia ad vnum.

Nec aliter loquitur Bonauentura, Expellitur ergo culpa à Dei dono, non à libero arbitrio, non tamen ſine libero arbitrio. Nam gratia gratis data eſt, liberum arbitrium reuocare à malo,

Parte 5. breuiloquij, c. 3.

Digitized by Google

& excitare ad bonum, & liberi arbitrij eſt, conſentire vel diſſentire, & conſentientis gratiam ſuſcipere, vel ſuſcipientis eſt cooperari eidem, vt tandem perueniat ad ſalutem.

Redeamus ad Græcos, Maximus Monachus de Charitate Centuria 3. cap. 91. paucis, ſed diuerſis verbis explicat, gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem, cum illi poſſit reſiſti, voluntatemque hominis non eſſe determinatam ad vnum, quinimo voluntati facultatem eligendi ſemper eſſe relictam, his verbis; Animus noſter medius eſt inter duos, quorum vterque opus proprium exercet, vnus virtutem, alter autem vitium, hoc eſt Angelus & Dæmon. Cæterum animo poteſtas relicta eſt eligendi quod vult, aut vt ſequatur, aut vt reſiſtat.

Nec diſſimiliter alius Monachus nomine Thalaſſius qui docet flexibilitatem in vtramque partem, Poteſtas, inquit, tibi data eſt in vtrumuis declinandi: Sis ergo meliori ſubditus, & deteriorem tibi ſubijcito. Hecatontide 4. cap. 11.

Præclarè verò de flexibilitate arbitrij in vtramque partem liberi, diſſerit Sanctus Ioannes Damaſcenus, docens ſuperuacaneum fore homini liberum arbitrium, ſi eo vti ad libitum non poſſet. Quod nititur Ianſenius, dum dicit ſe non tollere liberum arbitrium: ſed tamen illud neceſſariò duci & trahi à gratia, ita

Digitized by Google

vt ei reſiſtere non poſſit, quod eſt illud inutile reddere. Hunc autem ſic refutat Ioannes „ Damaſcenus. Relinquitur itaque eundem „ ipſum hominem, qui agit & operatur, ope- „ rum ſuorum auctorem eſſe, eaque in arbi- „ trio ſuo atque poteſtate habere. Huc acce- „ dit, quod ſi nullius actionis auctor eſt homo, „ fruſtra ei deliberandi facultas tributa erit: „ quorſum enim deliberatione vtetur, ſi nullius „ actionis arbitrium ac poteſtas penes eum exi- „ ſtat? Omnis enim deliberatio, actionis cauſa „ ſuſcipitur. Porrò id, quo nec præclarius quic- „ quam, nec præſtantius in homine ſuperuaca- „ neum eſſe aſſerere, extremæ cuiuſdam abſur- „ ditatis fuerit; Ac proinde dum deliberat, „ actionis profectò cauſa deliberat, nulla eſt „ enim deliberatio, quæ non actionis cauſa ſuſcipiatur.

Lib. 2. Orth. fidei, c. 25.

Theophilactus autem ita eleuat arbitrij libertatem, vt in ea ſitum eſſe dicat electum fieri vel non, ſic enim loquitur ad caput 22. Ma- „ thæi: Pauci qui ſaluantur, & qui digni ſunt „ vt eligantur à Deo, ita vt Dei quidem ſit „ vocare, electum autem vel fieri vel non, noſtrum. Sic etiam ad caput 13. Ioannis: Ego ſcio „ quos elegerim, quid dicemus de Iuda? num „ & illum elegit: Elegit quidem eum cum bo- „ nus eſſet, ſicut & Saül, ſed mutatus eſt ipſe, „ liberi arbitrij exiſtens. Permittit autem vni-

Digitized by Google

„ cuique ſecundum quod vult operari, non
„ enim aufert liberum arbitrium, mutatum
„ autem Iudam repulit, quamuis prius elegiſ-
„ ſet.

Quomodo verò hominum arbitrium ab omni neceſſitate liberatum ſit & immune, nec in vllam partem determinatum, ſed ſemper electionis liberæ excellenter explicat, & quaſi digito demonſtrat Simeon Metaphraſtes in vita Sancti Auxentij Abbatis; Deus, inquit, nos fe-
„ cit libero arbitrio præditos, neque ſeruientes
„ vlli externæ neceſſitati, ſed liberè noſtro ar-
„ bitratu eligentes quod nobis placet. Hanc
„ enim calamitatem, qua nunc tenetur huma-
„ num genus, fraude inducti attraximus, non à
„ Deo factam: Deus enim mortem non fecit,
„ neque delectatur interitu viuorum, ſed quo-
„ dammodo nos homines ſumus mali creatores,
„ Quomodo enim lux Solis eſt communiter
„ propoſita omnibus, quibus adeſt vis viden-
„ di. Poteſt autem ſi velit quiſpiam claudens
„ oculum, ſeparari à dono lucis, non quod ſol
„ in eo effecerit tenebras, ſed quod radij ſplen-
„ dorem auerſatus, tenebras ſuas ſpontè attra-
„ xerit, & quomodo ſi quis domum ſibi nul-
„ lum luci aditum præbeat, intrinſecus obſcu-
„ ram domum efficit; Ita nos quoque in natu-
„ ra habentes bonum & honeſtum noſtro ar-
„ bitratu innouamus, quæ ſunt præter natu-

» ram, noſtra ſpontè malorum experientiam in » boni & honeſti auerſione, electione noſtra » & inſtituto fabricantes.

Nunquam eſſet finis, ſi vellem proferre omnes Auctores, qui Ianſenij ſententiæ aduerſantur, & meæ fauent: ſed me credo ſat multos attuliſſe, vt nemini ſit dubium, non modo neotericos, ſed & Παλαιοὺς παλαιοτέρους, & παλαιοτάτους, Id eſt omnes ſiue antiquos ſiue recentes, Et proinde Sanctum Auguſtinum ipſum, cum ſe non nouam, ſed veterem & conſtantem Eccleſiæ ſententiam profiteatur docere, vt non modo quod damnat Ianſenius in noſtris, quos neotericos vocat, inuidiæ conciliandæ cauſa, ſed omnes vno ore docuerint libertatem eſſe eam vim, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt actum ſuum exercere, aut non exercere, aut etiam hoc, aut eius contrarium agere per ſe valet, nec aliunde impeditur, & proinde nec gratiam eſſe ſemper efficacem, cum eius efficacia pendeat à voluntate hominis libera, ad gratiam amplectendam, ſiue reijciendam, nec vlla neceſſitate, ſiue alia quacumque cauſa externa prohiberi poſſit, etiam iam ſuſceptam proijcere, cum determinatio voluntatis ad hoc ſiue illud ab ea pendeat, quæ eſt ſemper flexibilis in vtramque partem, & cum ſit rationabilis, poteſt ſuper rebus agendis deliberare, & poſt delibe-

Digitized by Google

deliberationem eligere, & iudicare quid potius agendum exiſtimet, & ad illud exequendum ſe conuertere: quod te Sancte pater Auguſtine ſemper docuiſſe, nec contrarium vnquam ſenſiſſe, dum contendo & probare conor, exurge, & ad tui ipſius defenſionem accede, accingere gladio ſuper femur tuum doctiſſime. Apprehendo arma & ſcutum: vindica te à calumnijs hominum male dicentium & criminantium te tam abſurda loquutum. Dixiſtine vnquam gratiam Dei eſſe ſemper neceſſariò efficacem? dixiſtine gratiam neceſſariò determinare voluntatem ad vnum? dixiſtine gratiam Dei non poſſe reijci, nec illi reſiſti, & multa alia abſurdiſſima, quæ tibi Ianſenius imponit, & ad quæ te vnicum patronum elegit? A quibus dum te liberare nitor, & hoc mihi probandum incumbit, ex te, & operibus tuis Eccleſiæ relictis, faue & annue votis, ſuggere locos, ex quibus id clarè demonſtrem.

Primò dico te gratiæ Dei ſemper talem fuiſſe vindicem aduerſus eos, qui illam oppugnabant, vt nunquam arbitrium hominis ad vtrumlibet, ſeu ad indifferentia negaueris: in cuius fauorem tres libros de Libero arbitrio inſcriptos edideris, & ſemper liberum arbitrium cum gratia ſocians, librum de gratia & libero arbitrio conſcripſiſti, liberumque arbitrium deſcripſiſti motum, quo huc aut illuc

Digitized by Google

voluntas conuertitur, ſic loquens libro 3. de
» libero arbitrio cap. 5. Motus quo huc aut
» illuc voluntas conuertitur, niſi eſſet volunta-
» rius, atque in noſtra poteſtate, neque laudan-
» dus eſſet homo, cum ad ſuperiora, neque
» culpandus, cum ad inferiora detorquet quaſi
» quendam cardinem voluntatis.

Vnde vt arbitror clarè ſequitur voluntatem hominis non determinari à gratia neceſſariò ad vnum: ſi enim determinaretur, quomodo voluntas hominis eſſet in eius poteſtate? ſicque etiam quomodo poſſet voluntatem ſuam ad ſuperiora aut inferiora detorquere? quomodo haberet in ſua poteſtate cardinem ſuæ voluntatis? & proinde quomodo culpandus aut laudandus ob bona vel mala opera? Voluntas enim noſtra, vt tu ipſe dicis, cap. 3. eiuſ-
» dem libri, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in
» noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate,
» libera eſt in nobis: non enim eſt nobis li-
» berum, quod in poteſtate non habemus.
Quod etiam nobis confirmaſti, libro primo Retractationum, his verbis: Cum enim hoc ſit in
» poteſtate, quod cum volumus facimus, nihil
» tam in poteſtate quàm ipſa voluntas eſt.
» Ergo voluntas hominis non eſt in poteſtate
gratiæ Dei, vt ab illa determinetur in quamcumque partem, ſed à Deo libera relinquitur vt creata eſt. Nec enim Deus opus ſuum

Digitized by Google

deſtruit, ſed ſecundum ordinem rerum creatarum agit: & proinde tantum abeſt, vt nobis vllam neceſſitatem imponat, quinimò, vt ipſe Sanctus Auguſtinus docet Epiſtola 41 ad Valen-
» tinum, obedientiam noſtram requirit, quæ
» nulla poteſt eſſe ſine libero arbitrio. Si enim præſtaretur à voluntate hominis neceſſitata & determinata ad vnum; iam eſſemus ſerui Dei neceſſariò, non liberè: Deus autem ſeruos meliores eſſe iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent. Quod & eloquenter & eodem plane modo, nobis explicat Baſilius Magnus his verbis: Sed cur in
» ſtructura, inquis, non habuimus vt peccare
» non poſſemus, itavt ne volentibus quidem
» contingeret vt peccaremus, quoniam in-
» quam & tu ſeruos non quando vinctos in
» cuſtodia retines, beneuolos eſſe tibi exiſti-
» mas; ſed cum voluntarie omnia quæ erga te
» oportet videris agere, ſic item Deo eum pu-
» ta fore amicum non qui neceſſitate, ſed qui
» ex virtute obtemperat, virtus vero ex volun-
» tate perficitur, non ex neceſſitate. Voluntas
» autem ab illis pendet, quæ in nobis ſunt ſita:
» quod vero in nobis ſitum eſt, voluntarium
» & liberum eſt. Qui ergo factorem reprehen-
» dit, quod non tales nos natura fecit, qui pec-
» care nequeamus, nihil aliud opinari videtur

Libro de vera Religione, c. 14.

Ἀλλὰ καὶ διὰ τί οὐκ ἐν τῇ κατασκευῇ τὸ ἀναμάρτητον ἔχομεν φύσει, ὥστε μηδὲ βουλομένοις ἡμῖν ὑπάρχειν τὸ ἁμαρτάνειν, ὅτι καὶ σὺ, τοὺς οἰκέτας οὐχ ὅταν δεσμίους ἔχῃς, εὔνους ὑπολαμβάνεις, ἀλλ' ὅταν ἑκουσίως ἴδῃς, ἀποπληροῦντάς σοι τὰ καθήκοντα· καὶ Θεῷ, τοίνυν οὐ τὸ ἠναγκασμένον φίλον, ἀλλὰ τὸ ἐξ ἀρετῆς κατορθούμενον, ἀρετὴ δὲ ἐκ προαιρέσεως καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης γίνεται, προαίρεσις δὲ τοῦ ἐφ' ἡμῖν, ἤρτηται, τὸ δὲ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὸ αὐτεξούσιον, ὁ τοίνυν, μεμφόμενος τὸν ποιητὴν ὡς μὴ

φυσικῶς, κατασκευάσαντα ἡμᾶς ἀναμαρτήτους, οὐδὲν ἐποίει ἢ τὴν ἄλογον φύσιν τῆς λογικῆς τιμιωτέραν, καὶ τὴν ἀκίνητον, καὶ ἀνόρμητον, τῆς προαιρετικῆς καὶ ἐμπράκτου.

» quàm naturam ratione carentem, ea quæ ra-
» tionis eſt particeps, eſſe potiorem, & illa quæ
» non mouentur nec mente ducuntur, ijs quæ
» eligunt, iudicant, conferunt, omnino præ-
» ſtare.

Si autem gratia eſſet ſemper efficax neceſſariò, vt vult Ianſenius, ſequeretur etiam vt item vult gratiam neceſſariò determinari ad bonum, & proinde euaneſceret penitùs libertas hominis, & conſequenter etiam nec culpandus ſi malè, nec laudandus ſi bene ageret: ſic quoque nec meritum nec demeritum, nec præmium, nec pœna. Quod diſertè explicat S. Auguſtinus, in diſputatione 2. contra Fortunatum, quæ incipit Poſtera die, &c. Quod libe-
» rum arbitrium ſi non dediſſet Deus, iudi-
» cium puniendi nullum iuſtum eſſe poſſet,
» nec meritum rectè faciendi, nec præceptum
» diuinum vt ageretur pœnitentia de pecca-
» tis, nec ipſa intelligentia peccatorum, quam
» nobis Deus per Dominum noſtrum Chri-
» ſtum donauit, quia qui non voluntate pec-
» cant, non peccant.

Vnde etiam ſequitur eos qui determinata voluntate ad bonum, bonum operantur, tamen non bene operari, quia neceſſitate faciunt. Quæ ratiocinatio non mea eſt, ſed etiam ipſius Sancti Auguſtini. Ibidem Auguſtinus di-
» xit: Ego dico peccatum non eſſe, ſi non pro-

» pria voluntate peccetur; hinc eſſe præmium,
» quia propria voluntate recta facimus: aut ſi
» pœnam meretur qui peccat inuitus, debet
» & præmium mereri, qui benè facit inuitus.
» Quis autem dubitet non deferri præmium
» niſi ei, qui bona voluntate aliquid fecerit?
» ex quo intelligimus & pœnam inferri ei, qui
» voluntate mala aliquid fecerit.

Quod & exemplis paulò ante illuſtrauerat idem Sanctus Auguſtinus his verbis; Peccata,
» vt dixi, niſi libera voluntas eſſet in nobis, pec-
» cata non eſſent. Si quis enim verbi cauſa li-
» garetur ab aliquo, cæteris membris, & de
» manu eius falſum ſcriberetur ſine eius pro-
» pria voluntate, quæro ſi hoc iudici patefie-
» ret, poſſet hunc hominem falſitatis crimine
» condemnare? Vnde ego eodem modo quo ante Auguſtinus à ſimili poſſum argumentari: Si ita ligata eſt voluntas & neceſſitata à gratia, vt contrarium eius quod vult velle non poſſit, an poſſit dici voluntate velle cum ab ea agatur neceſſariò? Quod & latius explicat Sanctus Auguſtinus libro de duabus animabus contra Manichæos, flexibilitatem voluntatis in vtramque partem docens, & præcipuè his verbis:
» Cur non magis hoc ſignum eſt vnius animæ,
» quæ libera illa voluntate huc & illuc ferri,
» hinc atque hinc referri poteſt. Nam mihi
» cum accidit, vnum me eſſe cenſeo, vtrum-

Digitized by Google

„ que conſiderantem, alterutrum eligentem,
„ ſed plerumque illud liber, hoc decet, quo-
„ rum nos in medio poſiti fluctuamus: nec
„ mirum, ita enim nunc conſtituti ſumus, vt
„ & per carnem voluptate affici, & per ſpiri-
„ tum honeſtate poſſimus.

Vnde etiam ſequitur voluntatem noſtram in hoc ſæculo, nunquam neceſſariò determinari ad bonum à gratia, vt competit cœleſtibus, ſicque falsò Ianſenium argumentari ab arbitrio Angelico ad humanum, extollendo liberum arbitrium vſque ad cœlum, vt abſolutè illud tollat, aut ſaltem inutile reddat in terris, docendo non eſſe ex natura & eſſentia arbitrij liberi, vt ſit flexibile in vtramque partem, ſub prætextu quod non eſt eiuſmodi in cœlis. Licet enim abſolutè loquendo non ſit ex eſſentia liberi arbitrij, vt poſſit flecti in vtramque partem; tamen eſt de eſſentia arbitrij humani: in eo enim tantum conſiſtit libertas humana, vt poſſit deliberare, eligere; & in quam partem voluerit ſe flectere; ſine qua libertate nec laus, nec vituperium, nec pœna, nec præmium, nec meritum, nec demeritum, vt ſatis toto hoc opere demonſtrauimus, ſic vt ij tantum ſalui fiant, qui ſaluari volunt; nec pereant, niſi qui ipſi præuaricando mortem ſibi inducunt, vt nobis explicat Sanctus Auguſtinus: Libera, in-
„ quit, voluntate faciunt homines conſuetu-

„ dinem, quam cum fecerint, facile ſuperare „ non poſſunt; ipſi ergo ſibi de ſeipſis fecerunt „ quod contraria lex habitet in membris eo- „ rum. Sed qui concipiunt timorem Dei, & „ per liberum arbitrium ſubdunt ſe ſanandos „ optimo Medico, & ſicut bono Curatori, ita „ & miſericordi Creatori, per humilitatem con- „ feſſionis & pœnitentiæ ſanantur.

In Actis cum Fœlice Manichæo lib. 2. c. 8.

Determinationem autem voluntatis ad vnum hoc argumento deſtruit Sanctus Auguſtinus, quod ſine arbitrio ad bonum vel malum libero, homo rectè viuere non poſſet: & ideo illi datum eſt, & vt ſi eo malè vteretur, diuinitus vindicaretur, ſic loquens; Si homo „ aliquod bonum eſt, & non poſſet, niſi cum „ vellet rectè facere, debuit habere liberam „ voluntatem, ſine qua rectè facere non poſſit, „ non enim quia per illam etiam peccatur, ad „ hoc eam Deum dediſſe credendum eſt, ſatis „ ergo cauſæ eſt cur dari debuerit, quoniam „ ſine illa homo non poteſt rectè viuere. Ad hoc „ autem datam vel hinc intelligi poteſt, quia „ ſi quis ea malè vſus fuerit, diuinitus in eum „ vindicatur. Item: Deus cum peccantem pu- „ nit. Quid videtur tibi aliud dicere, niſi cur „ non ad eam rem vſus eſt libera voluntate „ ad quam tibi eam dedi, hoc eſt ad rectè „ faciendum: deinde illud bonum, quo com- „ mendatur ipſa iuſtitia in damnandis peccatis

Lib. 2. de libero arbitrio, c. 1.

» rectéque factis honorandis, quomodo eſſet,
» ſi homo careret libero voluntatis arbitrio,
» non enim aut peccatum eſſet, aut rectè fa-
» ctum, quod non fieret voluntate; ac per hoc,
» & pœna iniuſta eſſet & præmium, ſi homo
» non haberet voluntatem liberam.

Scio Ianſenium dicere ſe non tollere liberum arbitrium. Sed quomodo poteſt hæc propoſitio ſubſiſtere cum ſua determinatione ad vnum, eaque neceſſariò? vbi enim determinatio, ad quid valet deliberatio? & quomodo poteſt electio ſuum ſortiri effectum, & in aliam ſe flectere partem, cum gratia à qua illam agi & duci dicit, ſit agens externum potentiſſimum, à quo, non modo non liberum, ſed ne quidem poſſibile vlli creaturæ ab eo ſe expedire. Ideo etiam Ianſenius docuit gratiam Dei ita eſſe efficacem, vt illi reſiſti non poſſit, & ideo abſolutè negat ſufficientem gratiam in toto opere ſuo, & ſpeciatim in cap. 1. libri 3. tomi 3. & tamen adeò demens eſt, vt multa loca Sancti Auguſtini proferat ſuæ ſententiæ aduerſantia, lib. 8. cap. 21. tomi 3. Vt enim oſtendat ſe diuerſum ſentire à Caluino profert S. Auguſtinum libro primo Retractationum cap. 22. Vbi dicit in poteſtate hominis eſſe mutare in melius voluntatem, non iudicans id ſolùm deſtruere ſuam ſententiam de gratia Dei ſemper efficaci, & de neceſſaria de-

terminatione

Digitized by Google

terminatione voluntatis ad bonum: ſi enim in poteſtate hominis eſt in melius ſuam mutare voluntatem, ergo etiam in peius; Et proinde flexibile arbitrium in vtramque partem. Quod apertius declarat S. Auguſtinus, in eodem loco in verbis ſuperioribus, vbi docet in noſtra poteſtate eſſe poſitum arborem bonam facere, & fructum eius bonum, aut malam arborem, & fructum eius malum: ergo nec gratia ſemper eſt efficax, nec determinata neceſſariò ad vnum, & illi reſiſti poteſt. Quod etiamclarius explicat S. Auguſtinus in loco ſubſequenti citato à Ianſenio, lib. de Spiritu & littera, cap. 31. quæ ſic referuntur à Ianſenio; Vide nunc vtrum quiſque credat ſi noluerit, aut non credat ſi voluerit, profectò fides in poteſtate eſt. Quæ verba leguntur quidem in Auguſtino, ſed non continuo, & ea infero contra Ianſenium, ſequitur enim inde voluntatem eſſe liberam ad velle aut nolle, & proinde non eſſe determinatam ad vnum, ſed iſtud & probo ex eodem loco, Nunquam voluntatem determinari à Deo non modo neceſſariò, ſed nec vllo quolibet modo. Etſi enim legatur in Scripturis non eſſe poteſtatem niſi à Deo, tamen nuſquam legimus non eſſe voluntatem, niſi à Deo: Et rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt. Hæc ſunt Auguſtini verba in eodem loco, qui ſe etiam ibidem explicans excludit omnem determina-

Digitized by Google

tionem ad vnum , & non modo coactionem, ſed etiam neceſſitatem; ſed, inquit, Cum po-
„ teſtas datur, non neceſſitas vtique imponi-
„ tur.

Quæ etiam Ianſenius allegat ex libris contra Fauſtum, illi maximè aduerſantur, quæ ſunt hæc; Siue autem iniquitas, ſiue iuſtitia, niſi eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate: Porrò ſi in poteſtate non eſſet, nullum præmium, nulla pœna iuſta eſſet, quod nemo ſapit, niſi qui deſipit; quæ licet in Auguſtino reperire non potuerim, cum ſint libri 33. nec librum citauerit Ianſenius, tamen libens admitto tanquam ineptè, & contra ſe allegata à Ianſenio, Quia ſi voluntas eſt in poteſtate hominis, non eſt determinata ad vnum, nec vnquam poteſt eſſe determinata ad bonum à gratia, vt illi reſiſtere non poſſit, & illam rejicere
„ ſi velit. Deus enim, vt inquit Sanctus Augu-
„ ſtinus lib. 21. cap. 3. contra Fauſtum, nec ſibi
„ aufert iudiciariam ſeueritatem, nec homini
„ liberam voluntatem. Homo enim, vt idem Sanctus Auguſtinus ait, lib. 22. contra Fauſtum
„ cap. 22. Poteſt peccare, & Deum negare, ſed
„ ſi nolit non facit. Et idipſum ibidem latius ex-
„ plicans, ſic loquitur; Hoc enim certè ſua culpa
„ non vi aliena fecerunt, quod cum poſſent
„ malo reſiſtere, noluerũt, quod ſi facerent, bene
„ facerent; ſi autem non facerent, grauiter im-

Digitized by Google

» maniterque peccarent, ſi potuerunt, & non
» fecerunt, voluntatis crimen eſt non neceſſitatis. Et in libro ſecundo de Actis cum Fœlice capite quarto, videtur quaſi alloqui Ianſenium,
» & illum redarguere: Audi ergo, inquit, de
» libero arbitrio primò ipſum Dominum, vbi
» duas arbores commemorat, quarum mentio-
» nem ipſe feciſti, audi dicentem, Aut facite ar-
» borem bonam, & fructum eius bonum; aut
» facite arboré malam, & fructum eius malum.
» Cum ergo dicit, aut hoc facite, Aut illud fa-
» cite, poteſtatem indicat, non naturam. Quod Sanctus Auguſtinus dicebat aduerſus Fauſtum Manichæum qui duas inducebat naturas, & ego aduerſus Ianſenium; qui ſtatuit determinationem à gratia neceſſitantem illam ad bonum, & illi ſuam eripit poteſtatem, licet, vt perſequitur Sanctus Auguſtinus, Habeat vnuſ-
» quiſque in voluntate, aut eligere quæ bona
» ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala,
» non quia mala ipſa quæ eliguntur, aliquam
» habeant in ſe ipſis ſubſtantiam, ſed quia Deus
» omnia quæ condidit, gradibus ſuis condidit,
» generibuſque diſtinxit, cœleſtia & terrena, im-
» mortalia atque mortalia, & omnia bona in
» ſuo genere condidit, animam habentem libe-
» rum arbitrium, ſub ſe ipſo, & ſupra cætera
» collocauit, vt ſi ſeruiret ſuperiori, dominare-
» tur inferiori; ſi autem offenderet ſuperiorem,

Digitized by Google

» pœnam ex inferiori ſentiret. Hoc ergo Domi-
» nus dicens, Aut facite illud, aut facite illud,
» oſtendit illud eſſe in poteſtate quid facerent,
» ipſe ſecurus, & certus in ſe tanquam Deus.

Quæ poſtrema verba præter cætera maximè notanda ſunt: videntur enim fortiſſimè exprimere Deum, nec gratiam eius in nullam partem determinare voluntatem, cum homo tanquam Deus ſit certus & ſecurus, in ſua poteſtate eſſe quid faciat.

Atque etiam in capite ſequenti videtur etiam Ianſenium alloqui, & illi exprobrare liberum arbitrium tantum confiteri, ad decipiendos homines. Poſtea ſic loquens: Vides
» in his verbis confirmatum eſſe etiam à neſ-
» ciente quid loqueretur liberum arbitrium;
» qui enim ſeruare legem non vult, in pote-
» ſtate eius eſt ſi velit: non enim dixit, non
» potuerunt, ſed noluerunt; ſi enim coguntur,
» non nolunt, ſed non poſſunt: ſi autem no-
» lunt, non vtique coguntur vt non faciant,
» ſed voluntate ſua nolunt.

Et ſic voluntas hominis ſemper eſt mutabilis, & nunquam immutabilis, vt docet Ianſenius, ſed ambulatoria, vt volunt Iuriſconſulti. Et vt Sanctus Auguſtinus loquitur, quia ipſe
» Deus eſt incommutabilis, non eſt mirum ſi
» quod fecit, quia ei æquale non eſt, non eſt
» incommutabile, ſed mutabile: ideo & per li-

Digitized by Google

„ berum arbitrium peccare & pollui potuit. Vnde conſequens eſt, voluntatem hominis nunquam eſſe neceſſariò determinatam ad vnum à gratia, nec illam ſemper eſſe efficacem, ſed efficaciam eius pendere à libero hominis arbitrio, ſi velit, aut nolit.

Quod non modo tamen improbat Ianſenius, ſed eius Anonimus Apologiſta, qui ridet & damnat Dominum Habertium nunc Vabrenſem Epiſcopum *Quod dixerit ideo quoſdam non percipere fructum mortis Ieſu Chriſti, quia nolunt, & hoc dicit eſſe Pelagianiſmum damnatum in Concilio Arauſicano, & Sancto Auguſtino.* Licet nunquam aliter docuerit Sanctus Auguſtinus, vt iam oſtendimus, & iterum demonſtraturi ſumus; Sic autem malè argumentatur iſte Apologiſta, *Si ea ratio eſt, quare non omnes homines fructum mortis Ieſu Chriſti non percipiunt; nempè eius gratias, ea eſt quod nolunt, ſequitur Deum expectare voluntatem hominum, vt illis conferat ſuam gratiam, & id eſt error Semipelagianorum expreſſè damnatus in Concilio Arauſicano.* Deinde ſubiungit textum Gallicum, & in margine Latinum; cuius Latini hæc verba ſunt. *Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem vt purgari velimus per ſancti Spiritus infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti, Præparatur*

Apologiæ, p.136.

voluntas à Domino; & Apoſtolo ſalubriter prædicanti, Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

Sed reſpondeo falſam eſſe conſequentiam Apologiſtæ. Non enim negamus Deum operari in nobis velle & perficere; nec dicimus etiam Deum expectare voluntates noſtras, ſed fatemur etiam eum operari, vt velimus purgari: ſed dicimus Deum nobis inſpirare, vt velimus, cum volumus, nec nos quicquam boni poſſe facere, niſi præuia eius gratia; ſed tamen in poteſtate noſtra & libertate ſemper remanet, vt velimus obſequi gratiæ, vel illam reijcere: conſentire enim, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt: Item conſentire vocationi ſiue diſſentire propriæ voluntatis eſt, vt dicit Auguſtinus, lib. de Spiritu & littera, qui Pelagianis opponitur, cap. 34. Et ipſe Ianſenius nobis protulit textum ex eodem libro cap 31. Vide nunc » inquit Sanctus Auguſtinus, vtrum quiſquam » credat ſi noluerit, aut non credat ſi voluerit. » Quod ſi abſurdum eſt, quid eſt enim credere » niſi conſentire, verum eſſe quod dici» tur; Conſenſio autem vtique volentis eſt, » profectò fides in poteſtate eſt. Sic Deus non expectat vt velimus, ſed nobis inſpirat; ſed expectat conſenſum noſtrum, vt gratia eius ſit efficax, vel inefficax. Nec iuuat Apologiſtam quod dicit Auguſtinum damnare hanc propo-

Digitized by Google

ſitionem vt Pelagianiſmum. *Quomodo dicitur omnes homines gratiam fuiſſe accepturos, ſi non illi quibus non donatur, eam ſua voluntate reſpuerent?* Hoc enim eſt intelligendum de voluntate Dei ſubſequente, qua præuidens multos ſuæ gratiæ non conſenſuros, illis quidem offert, ſed non cum effectu: Deus enim omnes vocat, nec illi ſibi debent tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debuerunt alteri tribuere, quia vt venirent vocati in libera erat voluntate: omnes enim homines illuminantur: quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum, vt dicit Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 3. quod etiam docuit lib. de libero arbitrio cap. 19. Iam antea nobis citato: & in lib. de Spiritu & littera, quem poſt exortum cum Pelagio certamen ſcripſit. Ad hanc quæſtionem, ſi credimus, vt im-
» petremus hanc gratiam, & vtique voluntate
» credimus, de hac quæritur vnde ſit nobis. Si
» natura, quare non omnibus, cum ſit idem
» Deus omnium creator? ſi dono Dei etiam
» hoc, quare non omnibus, cum omnes homi-
» nes velit ſaluos fieri, reſpondet, vult Deus
» omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem
» veritatis venire, non ſic tamen, vt eis adimat
» liberum arbitrium, quo vel bene vel male
» vtentes iuſtiſſime iudicentur, &c.

Quam etiam eandem ſententiam repetit lib. de natura, & gratia cap. 69. & in Pſal. 90. San„guis Chriſti pretium eſt tanti quid valet? quid? „ niſi totius orbis? Ac ne tam conſtans veritas falſis interpretationibus & effugijs eludi poſſit, audiat vnuſquiſque Sanctum Auguſtinum docentem cum Apoſtolo, Chriſtum pro impijs mortuum eſſe, qui etiam addit, ſe hæc non „ quaſi ratiocinatione dicere Audi, inquit, Apo„ ſtolum dicentem, qui filio proprio non peper„ cit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, Homilia 34. cap. 5. & 6. Et in Appendice ſermone 41. dominicæ in Ramis palmarum de Paſſione „ Domini. Hodie Dominus noſter in ſtatera cru„ cis pretium noſtræ ſalutis appendit, & vna mor„ te vniuerſum mundum, ſicut omnium condi„ tor, ita omnium reparator abſoluit: Indubi„ tanter enim credamus quod totum mundum „ redemit, qui plus dedit quam totus mundus valeret. Nec aliter loquitur Sanctus Fulgentius lib. 3. ad Thraſimondum Regem cap. 32. „ his verbis. Quia Deus filio proprio non peper„ cit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; „ Et lib. de Incarnatione & gratia, cap. 10. Te„ ſtatur, inquit Apoſtolus, quia Chriſtus ſecun„ dum tempus pro impijs mortuus eſt. Quod & repetit lib. de fide ad Petrum Diaconum. Noſtram autem explicationem de voluntate Dei antecedente & ſubſequente hauſimus ex Proſ-

pero

pero Sancti Auguſtini diſcipulo, qui magis mentem eius nôrat quàm Dominus Apologiſta in reſponſione ad obiectionem ſecundam » Vincentij; Remota, inquit, diſcretione quam » diuina ſcientia intra ſecretum iuſtitiæ ſuæ con- » tinet (hæc eſt poſterior ſeu conſequens vo- » luntas Dei) ſinceriſſimè credendum atque » profitendum eſt Deum velle, vt omnes homi- » nes ſalui fiant, ſiquidem Apoſtolus, cuius iſta » ſententia eſt, ſollicitiſſimè præcipit quod in » omnibus Eccleſijs pijſſimè cuſtoditur, vt pro » omnibus hominibus ſupplicetur, ex quibus » quod multi pereant, pereuntis eſt meritum, » quod multi ſaluantur, ſaluantis eſt donum.

Prosper in reſponſione ad obiectionem 2. Vincentij.

Et ſcriptor de vocatione gentium, lib. 1. cap. 1. » quæritur vtrum Deus velit omnes homines » ſaluos fieri, & quia hoc negari non poteſt, » cur voluntas omnipotentis non impleatur, in- » quiritur, & lib. 2. cap. 2. Quod de ſaluatione » omnium hominum in ſcripturæ corpore repe- » ritur, nulla contraria argumentatione teme- » randum. Et cap. 7. illud quod de bonitate » Dei pijſſimè creditur, quia omnes homines » velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis » venire non oportere, niſi perpetuum æter- » numque ſentiri, ſecundum eas menſuras, qui- » bus Deus dona generalia ſpecialibus nouit » cumulare muneribus: Et lib. 2. cap. 8. ſiue » igitur nouiſſima contemplemur ſæcula, ſeu

Digitized by Google

» prima ſeu media, rationabiliter & piè cre-
» ditur omnes homines ſaluos fieri Deum vel-
» le ſemperque voluiſſe. Plura eiuſmodi loca ſiue ex Sancto Auguſtino, ſiue Proſpero, poſſem proferre in hanc ſententiam: ſed hos, & eos, quos iam in hoc opere protulimus, ſufficere arbitror. Itaque redeo ad Dominum Apologiſtam, qui dicit Habertium ſic loqui; *Quia non ſatis nouit quid ſit gratia Ieſu Chriſti, nec ſatis percipit illius eſſe formare in nobis ſpiritum nouum, vt loquuntur Prophetæ, qui operatur in nobis velle & perficere, vt, inquit Apoſtolus & aptat nos in omni bono vt faciamus eius voluntatem, ſibi viam patefacere in corde, non obſtante omni eius malitia, vt inquit Sanctus Auguſtinus, ſibi ſubmittere animas quæ magis reſiſtunt, vt inquit Sanctus Proſper, & tandem ſe exhibere cognoſcendam, amandam, deſiderandam, & exorandam, vt inquit Sanctus Fulgentius ſic citans in margine, Ezech. cap. 36. v. 26. Philip. cap. 2. v. 13. Hebr. cap. 13. v. 21. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 11.*

Quibus antequam reſpondeamus, notabit lector quæ citat Dominus Apologiſta ex Sancto Auguſtino lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 11. non haberi in hoc loco, quæ vero ex Proſpero ita malè citata, lib. 1. de ver. & de Sancto Fulgentio de prædeſtinatione & gratia ſiue capite, vt ea quæ dixerint perquirere neglexe-

rim, nec tamen reſpondere negligam: Hæc enim omnia nec Ianſenio, nec eius Apologiſtæ quicquam proſunt. Nec enim vnquam ſiue Prophetæ, ſiue Apoſtolus, ſiue Sanctus Auguſtinus, ſiue Sanctus Proſper, ſiue Sanctus Fulgentius, ſiue quicumque alij Patres orthodoxi aliud vnquam docuerunt, niſi Deum præuenire hominum voluntates gratia ſua, vt illi conſentire, vel diſſentire eſſet liberum, quod per Sanctum Auguſtinum ſolum nunc probare intendo, omiſſis omnibus rationibus, quas illi ſoli dicendas relinquo. Audiat ergo Apologiſta illum ſic loquentem ſermone ſe-
» cundo de Verbis Apoſtoli: Imple, inquit,
» vallem, ſuſcipe imbrem, gratia pluuia eſt,
» non in montes, ſed in valles, id eſt humiles deſcendit. Nec vnquam Sanctus Auguſtinus dixit præciſè & abſolutè Deum in nobis cor nouum facere, ſed facere vt faciamus, nempè monendo, mouendo, excitando voluntatem noſtram, & illi vires efficaciſſimas præbendo,
» vt velimus & faciamus. Deus enim, inquit,
» eſt, qui operatur in nobis velle & operari.
» Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille
» facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſi- De gratia & libero arbitrio cap. 16.
» mas voluntati, qui dixit, Faciam vt in iuſtifi-
» cationibus meis ambuletis.

Atque vt magis intelligat Dominus Apologiſta Deum in nobis nihil operari, niſi vo-

Digitized by Google

lentibus non renitentibus, nec renuentibus, licet velle operetur in nobis cum volumus, itaque non malè dixiſſe Dominum Habertium, & adiunxiſſe ita ſaluari homines ſi velint, non enim inuitos ſeruat: Sciat Dominus Apologiſta Deum cum aliquid iubet ſemper noſtrum conuenire arbitrium liberum, ſine quo nihil fit: „ Quando, inquit Sanctus Auguſti„nus, iubetur vt operentur, liberum eorum „ conuenitur arbitrium, ſed ideo cum timore „ & tremore ne ſibi tribuendo, quod benè „ operantur de bonis, tanquam ſuis extollan„tur, tanquam ergo Apoſtolus interrogare„tur & diceretur ei, quare dixiſti Cum ti„more & tremore? horum verborum ratio„nem reddit dicens, Deus eſt enim qui ope„ratur in vobis, ſi enim timetis, tremitis, „ non extollimini tanquam de veſtris operibus „ bonis, quia Deus eſt qui operatur in vobis. Sed liceat mihi Sanctum Bernardum, non vt eius auctoritate, ſed eius rationibus nitar proferre, magis enim mentem meam quàm explicare poſſem, explicat, libro de Gratia, & libero arbitrio ſub finem, docens quomodo hæc cogitare velle perficere operetur in no„bis: Primum, inquit, ſcilicet cogitare ſine „ nobis; ſecundum ſcilicet velle nobiſcum; „ tertium ſcilicet perficere per nos facit, ſiqui„dem immittendo bonam cogitationem nos

» præuenit, immutando etiam malam volun-
» tatem ſibi per conſenſum iungit miniſtran-
» do, & conſenſui facultatem foris per aper-
» tum opus noſtrum internus opifex innoteſ-
» cit. Deinde addit: Cauendum ergo, ne cum
» hæc inuiſibiliter intra nos, ac nobiſcum acti-
» tari ſentimus, aut noſtræ voluntati attribua-
» mus quæ infirma eſt, aut Dei neceſſitati quæ
» nulla eſt, ſed ſoli gratiæ, qua plenus eſt,
» ipſa liberum excitat arbitrium, cum ſeminat
» appetitum, ſanat, cum immutat affectum,
» roborat vt perducat ad actum, ſeruat ne ſen-
» tiat defectum; Sic autem iſta cum libero ar-
» bitrio operatur, vt tantum illud in primo
» præueniat, in cæteris comitetur, ad hoc vti-
» que præueniens, vt iam ſic ſibi deinceps
copuletur.

Notet hoc Lector, quia ſi homo coopera-
ri nolit, & gratiæ Dei reſiſtat, in eo inutilis
» remanet; Ita tamen quod à ſola gratia cœ-
» ptum eſt, ab vtroque perficitur, vt mixtim,
» non ſigillatim ſimul non viciſſim, per ſin-
» gulos profectus operentur, non partim gra-
» tia, partim liberum arbitrium, ſed totum
» ſingula opere indiuiduo peragunt. Et tamen
Dominus Apologiſta contra Sanctum Augu-
ſtinum ſentiens, ſuam ſententiam Auguſtinia-
nam dicit, & illam ex Auguſtino iterum pro-
bare dicit, perſequens ridere Dominum Ha-

Digitized by Google

bertium dicendo; *Eos, qui in his veritatibus Catholicis inſtructi erunt, facilè iudicaturos, quam parum Dominus Habertius illas conſiderauit, cum dixit, Ideo quoſdam non percipere fructus mortis Ieſu Chriſti, quaſi fructus & primus effectus mortis Chriſti non eſſet inſpirare hominibus hoc velle, quod illis deficere dicit; Et quaſi Sanctus Auguſtinus cum magna ratione non docuiſſet non poſſe dici Deum fruſtra noſtri miſereri, ſi nolumus cum eius miſericordia nos facit velle. Sic tranſcribens in margine textum Sancti Auguſtini: Illud autem neſcio quomodo dicatur, fruſtra Deum miſereri niſi nos velimus; Si enim Deus miſeretur iam volumus, ad eandem quippè miſericordiam pertinet vt velimus, Auguſtinus libro primo ad Symplicianum, quæſtione prima.*

Mihi verò hic ſolus textus cum verbis præcedentibus & ſequentibus, ſufficit ad refutandum Ianſenium & eius Apologiſtam & alios quoſlibet, & eo iam vſi ſumus contra Ianſenium illum etiam producentem, ad quem locum primum remittimus lectorem, & hic dicimus, fruſtra quidem Deum miſereri quoad nos niſi velimus, licet enim & ipſum velle operetur in nobis cum volumus, tamen ita operatur, vt nobis ſimul ſit liberum velle vel nolle: vocat enim, ſed vocanti obtemperare aut non, ſemper nobis liberum eſt, quod ipſum Sanctum Auguſtinum explicare malo, quàm me

ipſum, ſic ergo loquitur: Miſericordia Dei ſo-
„ la non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ volun-
„ tatis addatur: at illud manifeſtum eſt, fruſtra
„ nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem
„ neſcio quomodo dicatur fruſtra Deum miſe-
„ reri niſi nos velimus, ſi enim Deus miſere-
„ tur etiam volumus, ad eandem quippe miſe-
„ ricordiam pertinet vt velimus, Deus enim eſt
„ qui operatur in nobis & velle & operari, nam
„ ſi quæramus vtrum Dei donum ſit, volun-
„ tas bona, mirum ſi negare quiſquam au-
„ deat: at enim quia non præcedit voluntas
„ bona vocationem, ſed vocatio bonam vo-
„ luntatem, propterea vocanti Deo rectè tri-
„ buitur quod bene volumus, nobis verò tri-
„ bui non poteſt quod vocamur. Non igitur
„ ideo dictum eſt putandum, Non volentis ne-
„ que currentis, quia niſi eius adiutorio, non
„ poſſumus adipiſci quod volumus, ſed ideo
„ potius quia niſi eius vocatione non volumus.
„ Sed ſi vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ vo-
„ luntatis, vt omnis eam vocatus ſequatur, quo-
„ modo verum erit Multi vocati, pauci electi?
„ Quod ſi verum eſt, & non conſequenter vo-
„ cationi vocatus obtemperat, atque vt ob-
„ temperet in eius eſt poſitum voluntate, re-
„ ctè etiam dici poteſt, Igitur non miſerentis
„ Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis,
„ quia miſericordia vocantis non ſufficit, niſi

» vocati obedientia conſequatur.

Sequentia autem verba, quibus concludit Dominus Apologiſta, hæc ſunt, *Quod ſæpè probat (nempè Sanctus Auguſtinus) exemplo paruulorum, qui per baptiſmum gratiam ſuſcipiunt, licet antea nullam potuerint habuiſſe voluntatem illam ſuſcipiendi, eo modo quo qui illam non recipiunt, nullam habent voluntatem illam reijciendi.*

Quod quid operetur dicat ſi voluerit Dominus Apologiſta. Si enim afferret locum Auguſtini, quo id illum dicere, probare contendit, poſſemus cogitare quid eſſet reſpondendum: ſed quæ dicit Dominus Apologiſta, nullo modo inter ſe cohærent. Quoad enim primam partem ſui dicti; Nempè quod paruuli per Baptiſmum gratiam Dei ſuſcipiant, licet antea nullam potuerint habere voluntatem illam recipiendi, nemo negat, ſed quod addit, ſicut qui illam non recipiunt, nullam habent voluntatem illam rejiciendi, nemo intelligit. Quis enim poteſt velle rejicere quod non recipit, aut illi non offertur? Et tamen Dominus Apologiſta non deſinit ridere Dominum Habertium quod non ſatis nouit, quid ſit gratia Ieſu Chriſti, & tamen eſt Theologus, Doctor Sorbonicus, Prædicator eximius, necnon Epiſcopus, & volumen integrum ſcripſit de Gratia; Sed gloriatur Dominus Apologiſta,

Digitized by Google

giſta, quod Deus tam grandia ſecreta abſcondit ſapientibus, & reuelauit ſibi paruulo.

Domino autem Apologiſta in pace relicto, redeamus ad propoſitum, & vt inconcuſſum maneat gratiam Dei nunquam eſſe efficacem, niſi illi conſenſus noſtræ voluntatis liber ad vtrumlibet accedat, & ſubiungatur, quin etiam coniungatur, liberemus nos ab obiectione Ianſenij, qui dicit, Sic nos partiri cum Deo, cui licet iam reſponderimus, iterum dicamus, primò nos non partiri cum Deo; quin etiam ſi vult fateamur nos partiri cum Deo, non partimur, quia totus actus bonus, quia à Deo & eius gratia procedit, licet ſine acceſſu liberi arbitrij ſit inutilis, tamen quia ſine gratia nullo modo procedere poteſt, totus Deo tribuitur: partimur autem, quia gratiâ Dei & liberum arbitrium ſimul concurrere debent, vt conſequatur effectus gratiæ. Quemadmodum Sol & homo generant hominem, nec Sol ſolus, nec homo ſolus, ſed ambo ſimul & opere indiuiduo opus peragunt: ſic gratia & liberum arbitrium ita ſunt cauſæ partiales, vt vna ſine alia ſuum non poſſit producere effectum; neque enim homo ſe ad Deum conuertit ex gratia, niſi accedat liberi arbitrij conſenſus, neque libero arbitrio, niſi præceſſerit gratia. Cauſarum autem partialium aliæ ſunt coniuges, aliæ ſubiuges, ideſt ita ordina-

Digitized by Google

tæ vt altera alteri ſit ſubiugis : liberum autem arbitrium ita ſubiuge eſt gratiæ, vt licet cum gratia concurrat, tamen in eo concurſu potior eſt gratia. Quod ſatis explicat Sanctus Auguſtinus lib. 1. Retractationum cap.23. his verbis. Quod paulò ante dixi, noſtrum eſt enim credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum ſanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris : verum eſt quidem, ſed eadem regula, & vtrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & vtrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis. Quæ etiam verba repetit lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. & epiſt. 107. ad Vitalem, neque fideles ſunt niſi libero arbitrio, & tamen illius gratia fideles fiunt, & lib. 2. aduerſus duas Epiſtolas Pelagianorum, Homo præparat cor, non tamen ſine adiutorio Dei: deinde, quamuis niſi adiuuante illo os non poſſimus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento & opere noſtro. Item libro de gratia & libero arbitrio cap. 11. Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cum peccat, neque cum aliquid ſecundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate.

Item lib. de prædeſtinatione & gratia cap. 9. qui inter Auguſtiniana legitur ; Ore vero

» inquit, rurſus homo in vltimam fæcem de-
» ſidiæ reuolutus, arduum virtutis iter, &
» quamuis adiuuante Dei gratia non niſi labo-
» re gradiendum, inerti ſibi crederet poſſe
» deferri, & nullius laboris induſtriam ſtudio
» ſui profectus adhiberet, ita inter ſe atque
» homines Deus tempora officiaque diſtribuens
» ordinauit, vt vocatione ipſius bonorum prin-
» cipia ſumeremus: vocati autem atque illu-
» minati vias mandatorum eius boni ingenij
» intelligentia noſceremus, & eas libero vel
» eligeremus vel relinqueremus arbitrio. Scri-
» ptor de vocatione gentium lib. 1. cap. 1. Si
» tollitur voluntas, vbi ipſa eſt verarum cauſa
» virtutum? ſi tollitur gratia, vbi eſt ipſa bo-
» norum cauſa meritorum. Et lib. 2. cap. 22.
» Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificatio-
» nibus principaliter præeminet, ſed etiam
» voluntas hominis ſubiungitur ei atque
» coniungitur, vt diuino in ſe cooperetur
» opere. Mox: Siue igitur initia, ſiue profectus
» fidelium, ſiue vſque in finem perſeueran-
» tiam cogitemus, nullum genus, nulla ſpecies
» cuiuſquam virtutis occurrit, quæ vel ſine
» dono diuinæ gratiæ vel ſine conſenſu noſtræ
voluntatis habeatur: Quibus adde quæ ſupra
ex Sancto Auguſtino, & Sancto Bernardo attu-
limus, ita ſemper liberum arbitrium cum gra-
tia concurrere, vt quod à gratia cœptum ab

vtroque, ideſt à gratia & libero arbitrio perficiatur, vt totum ſingula opere indiuiduo peragant, vnde conſequens eſt gratiam Dei nunquam determinare aut neceſſitare liberum arbitrium ad vnum, ſed ſemper expectare conſenſum voluntatis liberum ad vtrumlibet ad perfectionem operis; Nam Deus, vnicuique „ noſtrum libertatem vitæ ſenſuſque permiſit, „ non neceſſitate in alterutrum affigens, vt „ vnumquemque ex natura bonum malumue „ eſſe lex cogeret, ſed qui nos per beneuo- „ lentiam vtendæ beatitudinis ſuæ creaſſet, „ profectum nobis ad id meritum vitæ Inno- „ centis honeſtæque conſtituit, vt inquit Sanctus Hylarius in Pſalmum ſecundum, qui etiam deſtruens diſtinctionem Ianſenij inter coactionem & neceſſitatem docet, eſſe filios Dei, „ eſſe opus voluntatis non neceſſitatis, libro. de Trinitate, & in Epiſtola ſynodica Epiſcoporum Africanorum in Sardinia exulum de gratia Dei & humano arbitrio, quæ inter opera „ Fulgentij legitur, dicitur liberum hominis arbi- „ trium abſque dono gratiæ eſſe ſicut oculum ſine luce: Qua comparatione ſatis nobis explicatur, gratiam Dei & liberum arbitrium ſibi mutuas operas præſtare. Nam vt oculus ad videndum factus eſt, & niſi lumen acceperit „ non videbit, illa autem eſt lux, quæ illuminat „ omnem hominem venientem in hunc mun-

Digitized by Google

» dum; illuminat autem hominem ſeipſam dan-
» do per gratiam. Sicut ergo corporis oculus
» ſemper indiget lumen accipere, vt ipſum poſ-
» ſit aſpicere, ſic & libero arbitrio hominis nul-
» la poteſt ſuffragari cognitio, niſi detur ip-
» ſius gratiæ ſpiritualis infuſio. Et quemadmodum oculus poteſt refugere lucem, ſic liberum arbitrium poteſt repudiare gratiam. Homo enim, vt dicit Sanctus Fulgentius lib. 2. de veritate prædeſtinationis & gratiæ cap. 9.
» bonum vult voluntate, bonum facit volun-
» tate, ſed ſine dono atque adiutorio Dei,
» nunquam poteſt bonum velle vel facere,
» equidem conuenitur vt ſciat, admonetur vt
» faciat, quia liberum habet ſemper arbitrium voluntatis. Ergo ſi ſemper liberum, nunquam eſt determinatum & neceſſitatum ad vnum: ſi admonetur vt faciat, poteſt monenti obtemperare, aut non obtemperare, & ſemper in ſe manet liber, certus & ſecurus in ſe.

Atque vt tandem huic operi finem imponamus, demonſtremus Ianſenij ſententiam omnino exploſam atque damnatam, & vt id facilius exequamur, ordiamur à confeſſis. Fatetur Ianſenius lib. 6. de gratia Chriſti cap. 37.
» has propoſitiones, quod voluntariè fit etiam
» ſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit, & ſola
» violentia repugnat voluntati hominis natu-
» rali, eſſe damnatas in bulla Pij quinti, & Gre-

„ gorij decimi quinti, quas à ſe explicari dicit,
„ ſic proponens in titulo, Explicantur propo-
„ ſitiones ex bulla Pij quinti, & ſic in ſuis ti-
tulis ludit lectores, nam in toto capite nul-
lam adfert explicationem, vt iam diximus, cum
illud caput refutaremus, niſi has propoſitio-
nes conſentire cum teſtimonijs à ſe allegatis
Dioniſij Carthuſiani, Thomæ de Argentina,
Henrici à Gandauo, Richardi de Mediauilla,
Sanctorum Bonauenturæ & Thomæ, Alberti,
Alexandri Halenſis, Guilelmi Altiſſidiorenſis,
Pariſienſis Petri Lombardi, Richardi, Hugo-
nis, Bernardi, Damaſceni, Bedæ & Auguſtini,
quorum doctrina nunquam ſuſpecta fuit & me-
ritò; Nunquam enim tale quidquam dixerunt,
ſed ſemper contrarium tenuerunt & docue-
runt, vt claris & apertis eorum textibus cui-
libet notum & manifeſtum fecimus, ſic illi
auctoritate ſua doctrina & ſententia, quod illi
ſummi Pontifices ſuis bullis damnarunt, &
in his duabus propoſitionibus tota Ianſenij
abſurda & paradoxa ſententia verſatur. Nun-
quid enim abſurdum id fieri voluntariè & libe-
rè, quod fit neceſſariò? Nunquid etiam abſur-
dum, ſolam violentiam repugnare libertati ho-
minis naturali, ſi ſub prætextu ſolius violentiæ
neceſſitatem excludas, quaſi neceſſitas non
repugnet libertati arbitrij, & qui aliquid facit
neceſſariò, poſſit dici id facere liberè, & ea li-

Digitized by Google

bertate qua à Deo conditus eſt, & quam toties iam demonſtrauimus illi ſemper eſſe liberam; Sed vt Ianſenio & eius ſequacibus omnis obſtruatur euaſio, probemus iterum non modo has propoſitiones, ſed omnem omnino Ianſenij ſententiam à Concilijs eſſe damnatam, hæc enim ſunt verba Concilij Senonenſis, Decreto decimo-quinto de Fide, ſub titulo de libero arbitrio; Cum igitur reliquerit Deus hominem in manu conſilij ſui, appoſuerit-que coram eo ignem & aquam, bonum & malum, vt ad quodcunque voluerit porrigat manum ſuam, nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, & facere mala & non fecit, quod ſub eo ſit appetitus eius & dominetur illius, ac denique percurrenti ſacram Scripturam paſſim obuium ſit, quod liberum vtramuis in partem hominis arbitrium aſſeueret (notet Lector his verbis deſtrui Ianſenij ſententiam, qui vult voluntatem hominis non eſſe flexibilem in vtramuis partem, ſed à gratia determinatam ad vnam, idque neceſſariò) Satis eſſe viſum eſt ſacro prouinciali Concilio libertatis huiuſmodi vires & metas exponere. Neque enim liberum arbitrium aſſerentes diuinam excludimus propterea gratiam, quod illi falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perſtrin-

» gere, ſed iuxta ſacram Scripturam eo exten-
» dimus, vt voluntas humana miſericordiæ
» præuenientis auxilio ſuffulta, & interiori quo-
» dam & occulto ſecretioris inſpirationis affla-
» tu contracta, ſe ſe conuertat in Deum, Deo
» appropinquet, & ad veram illam gratiám
» ſe præparet, qua tandem accepta ſit ad vi-
» tam æternam. Neque tamen tanta gratiæ ne-
» ceſſitas libero præiudicat arbitrio, cum illa
» ſemper ſit in promptu, nec momentum qui-
» dem prætereat, in quo Deus non ſtet ad
» oſtium & pulſet: cui ſi quis aperuerit ia-
» nuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum
» illo, nec denique tale ſit huiuſmodi trahen-
» tis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit.

Notet etiam Lector hæc verba damnare ſententiam Ianſenij, docet enim gratiæ Dei reſiſti non poſſe, nec eſſe liberum voluntati illam repudiare. Quod etſi in vno capite neget, in toto ſuo opere aſſerit, & neceſſariò ex eius ſententia ſequitur, Si enim vt vult, voluntas hominis ita neceſſariò determinata eſt in vnam partem nempè bonam, vt in aliam ſe flectere non poſſit, quomodo poteſt reſiſtere gratiæ, & illam repudiare? Et hoc eſt quod toties confirmare ſe credit per differentiam, quam ſtatuit inter coactionem, & neceſſitatem, vt voluntas quidem non cogi, ſed neceſſitari à gratia poſſit; Cum inde idem tamen

Digitized by Google

nem ſemper ſequatur effectus. Si enim gratia Dei voluntati neceſſitatem imponit, quis poteſt illi reſiſtere, cùm ſit agens externum omnium potentiſſimum?

Sed quis poteſt dubitare Ianſenij Sententiam à Patribus Concilij Tridentini eſſe damnatam, cùm nemini dubium ſit Lutherum & Caluinum eandem ſententiam tuentes eſſe damnatos, & nos clariſſime demonſtrauerimus Ianſenij ſententiam eſſe ſententiam Caluini perſonatam; ſic quaſi ſuperfluum exiſtimo, capita & canones Concilij Tridentini illam damnantes referre. Sic autem Patres iſti loquuntur cap. 5. Seſſ. 6. prope finem: Tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agit, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vbi Lector animaduertere poteſt, hominem libera ſua voluntate inſpirationem, ideſt gratiam Dei poſſe ſuſcipere vel non, quin etiam ſuſceptam abijcere: ergò voluntas eius non eſt determinata in vnam partem à gratia, cum illam ſuſcipere vel rejicere illi ſit liberum, quin etiam amplexam abjicere, & proinde illi reſiſtere. Quod & iterum explicat Concilium Canone 4. his verbis: Si quis dixerit liberum

„ hominis arbitrium à Deo motum & excita-
„ tum nihil cooperari aſſentiendo Deo exci-
„ tanti atque vocanti, quoad obtinendam
„ iuſtificationis gratiam ſe diſponat ac præpa-
„ ret, nec poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut
inanime quoddam nihil omnino agere, meré-
que paſſiuè ſe habere, anathema ſit. Cui ſen-
tentiæ ſic ab Eccleſia vniuerſa latæ, qui non
obtemperat, non audit Eccleſiam, & proinde
tanquam Ethnicus & Publicanus habendus
eſt.

FINIS.

Digitized by Google

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre: A nos Amés & Feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts ou leurs Lieutenans, & autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra: Salut; Noſtre tres-cher & bien amé RENÉ MAVPEOV, noſtre Conſeiller ordinaire en nos Conſeils, Nous a tres-humblement fait remontrer, qu'il auroit compoſé vn Liure intitulé, *Gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem, &c.* Lequel il deſire faire imprimer; Et parce qu'il craint que les Imprimeurs & Libraires ne vueillent ſe preualoir de ſon trauail, & des dépences qu'il luy conuient faire pour l'impreſſion dudit Liure; c'eſt pourquoy il nous a ſupplié luy vouloir accorder nos Lettres de Priuilege à ce neceſſaires. A CES CAVSES, deſirant fauorablement le traitter, Nous luy auons permis & permettons par ces Preſentes de faire imprimer ledit Liure en telle marge & caractere que bon luy ſemblera, & le faire vendre & debiter par tel Imprimeur & Libraire qu'il voudra choiſir: Faiſant à cét effect inhibitions & defences à toutes ſortes de

Digitized by Google

perſonnes, Imprimeurs, Libraires, & autres, de quelle qualité & condition qu'ils ſoient, de faire imprimer ledit Liure, vendre ny debiter ſur toutes les terres de noſtre obeïſſance, ſans la permiſſion & conſentement dudit Expoſant, à peine de mil liures d'amende, confiſcation des exemplaires, & à tous dépens dommages & intereſts, & ce durant le temps de ſept ans finis & accomplis, à compter du jour que ledit Liure ſera acheué d'imprimer; à la charge que ledit Expoſant mettra deux exemplaires dudit Liure en noſtre Biblioteque, & vn autre en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur SEGVIER, Cheualier Chancelier de France. Et voulons que le preſent Priuilege ſoit deuëment ſignifié, en mettant l'Extraict ou Priuilege d'iceluy à la fin ou au commencement dudit Liure, afin que perſonne n'en pretende cauſe d'ignorance. Mandons au premier Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous les Exploits requis & neceſſaires, ſans pour ce demander autre permiſſion: CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNÉ à Fontainebleau le dixiéme jour de Septembre, l'an de Grace mil ſix cens quarante-ſix, & de noſtre regne le quatriéme.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Les Exemplaires ont eſté fournis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-5-

oogle